




ALEX. THEOD. SVERDSIOEI

DR. PHIL. IN GYMN. RIGENS. PRAECEPT. SUPER. ORD.

VINDICIAE PRAECEPTI BENTLEIANI

DE

GENITIVO SUBSTANTIVORUM IN

$\overline{\text{IUS}}$ ET $\overline{\text{IUM}}$ DESINENTIUM.

ALEX. THEOD. SVERDSIOEI

DR. PHIL. IN GYMN. RIGENS. PRAECEPT.,

SUPER. ORD.

VINDICIAE PRAECEPTI BENTLEIANI

DE

GENITIVO SUBSTANTIVORUM IN

IUS ET IUM DESINENTIUM.



RIGAE ET DORPATI

APUD ED. FRANTZENIUM.

1832.

VIRIS CLARISSIMIS

CAROLO LUDOV. BLUMIO

PHILOS. DOCTORI, DISCIPLINARUM GEOGR. ET STATIST. PROFESSORI PUBL. ORD. APUD DORPATENSES

ET

JOANN. ERN. WEHRMANNO

DIRECTORI SCHOLAE EQUESTRIS REVALIENSIS

AMICIS CONJUNCTISSIMIS EGREGIEQUE DE SE MERITIS

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

ALEX. THEOD. SVERDSIOEUS.



Neminem fugit, qui accuratam linguae Latinae cognitionem sibi comparare studet, quam multa etiam post egregias Schneideri, Struvii, aliorum curas nondum satis explicata atque illustrata inveniantur in ea grammaticae parte, in qua de verborum formis disseritur. Imprimis exercuit multos viros doctissimos difficillima quaestio de genitivo substantivorum secundae declinationis, quae in ius et ium terminantur. Omnium primus Bentleius de hac re grammatica monuit ad Ter. Andr. II. 1. 20. et suo more totam disquisitionis rationem ita explicavit, ut non multa relinqueret, quae emendanda essent. Observatione quadam Nigidii Figuli de genitivi et vocativi secundae declinationis differentia, in diverso accentu posita, adductus, invenit vir summus, apud nullum poetam usque ad Propertium substantivorum secundae declinationis in ius et ium terminatorum secundum casum per ii formari, sed ubique per simplicem literam i. Charisii et ceterorum grammaticorum locos, ubi hujus genitivi terminationis mentio fit, de quibus accuratius mox disputabitur, non cognitos ha-

buisse videtur. — In versu Ennii apud Cic. de sen. init. restituit veram lectionem. Idem fecit in Hor. Serm. I. 4. 70., ubi genitivum in ii desinentem in contextu reliquerat, quod, ut ad Ter. l. l. narrat, tum, cum Horatium edebat, veram genitivi terminationem nesciebat. Simul praecepit, unumquemque poetae, qui ante Propertium vixisset, versum, ubi soluta illa genitivi forma inveniretur, aut mendosum aut ab aliena manu adsutum esse; etiam apud pedestris orationis scriptores hanc formam restituendam esse, nominatim apud Ciceronem; idque, ut ejus verbis utar, maxime attendendum esse iis, qui numeros oratorios cuperent intelligere. — Sunt fortasse, qui cum Weicherto (Val. Flacc. Argonaut. liber octav. p. 60.) et Heinrichio (Cic. de re publ. libror. reliqua. Ed. maj. p. 156.) faciant, Bentleiumque non primum fuisse existiment, qui hanc observationem fecerit, cum jam P. Victorius in animadversionibus suis ad Varronem de R. R. II. 1. cf. de la Cerda ad Virg. Ecl. I. 69. T. I. p. 18. fol.) genitivos *Asini*, *Arcadi* pro *Asinii*, *Arcadii* adnotaverit *). Simile quid a

*) cff. Victorius Var. Lectt. XVII. 1., et verba ipsius, quae Spengelius ad Varr. de ling. Lat. p. 9. profert ex annotationibus manu scriptis ad notum illud Ciceronis *res mancipi*: „quam rationem (genitivi per i scribendi) hodie quidam studiosi antiquitatis renovaverunt.“ Harum annotationum specimen legitur in

Salmasio Plin. Exercitt. pag. 860. col. 1. A, cui Heinrichius hanc observationem vindicare studet, factum videmus. — Majore fortasse jure laudari poterat F. Henricus Norisius, qui ad Cenotaphia Pisana Caii et Lucii Caesarum Venet. 1681. fol. p. 454 seq. de contracta hac genitivi terminatione diligenter disputavit eamque tum grammaticorum locis, quos fere omnes, Nigidio Figulo et Consentio exceptis, allegavit, tum veterum inscriptionum exemplis comprobare studuit. — Verum tamen aliud est, opinor, insolitas quasdam verborum formas adnotare, aliud non modo eandem facere observationem, sed etiam rationes accurate explicare et rem novam incertamque certis argumentis stabilire. Hoc certe viri est, magno praediti ingenio. Si cui vero eo, quod adnotaverit inusitatas et rariores vocum formas, potestas contingat inventionis honorem sibi vindicandi, non possumus, quin etiam Victorio et Salmasio hunc honorem eripiamus eumque veteribus grammaticis tribuamus. — Utcunque igitur res se habet, hoc saltem certum est, Bentleium primum fuisse, qui aliorum subitariam observationem, quae per se parvi pretii est, gravissimam eo redderet, quod regulam certis limitibus circumscriptam proponeret et

Seebodii novo grammatophylacio philol. et paedag. 1830. No. 12. p. 93 sqq. cf. l. l. 1828. No. 4. p. 102.

diligenter perscrutaretur, quousque genitivus in ii desinens insolitus esset, ita ut novam eamque certissimam viam criticis ostenderet mendosos locos in scriptis veterum inveniendi et emendandi. — Atqui egregia Bentleii observatio a doctis ejus aequalibus neglecta est; certe neminem ejus aetatis invenimus, qui eam aut laudaverit aut de ejus veritate dubitaverit, donec tandem Ruhnkenius in scholis suis de Terentio habitis (cf. Ruhnkenii dictata in Ter. comoedias, editt. a Lud. Schopeno p. 10.) Bentleii sententiae accessit, quamvis nihil novi adderet. Sed sola tanti viri approbatio jam sufficit ad veritatem sententiae confirmandam. Idem dictum velim de Reizio, qui quidem disertis verbis suam de hac re sententiam non aperuit, sed in Plauti Rudente (Lps. 1789) plures locos, Bentleianae observationi adversarios, tacite emendavit. — His accesserunt Heusingerus ad Cic. de off. II. 16. p. 495., III. 15. p. 678., et Brunckius in praef. ad Virg. p. VI. — Heynius, cum apud Servium notissimum illum Ennii versum: *Tarquinii corpus bona femina lavat et unxit*, invenisset, primus subdubitavit in praef. nov. ed. Virg. (1787.) p. XXIV. de veritate Bentleianae observationis, quam praeclaram quidem nominabat, sed veram suam de disquisitionibus ejusmodi grammaticis sententiam simul aperiebat. — „Adeo nihil,“ inquit, „satis certi et tuti est

in omni hac subtilitate grammatica; quam equidem si primus auctor constituendae lectionis Virgilianae fuissem, jure ac merito ad communem usum constitutam reliquissem; qua enim in re nihil satis ad liquidum perduci potest, imprimis si magni per se momenti non est, quorsum multa moliaris, quae consilio ex parte tantum respondent? Locum enim hic habet illud Terentianum: „*Here, quae res in se neque consilium neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes.*" — — Sed hoc parum honorificum judicium viri summi et de multis antiquitatis partibus meritissimi, notatum jam a Fr. Aug. Wolfio in literis ad Vossium datis anno 1790. (cf. H. Eb. G. Pauli Sophronizon Tom. X. Fasc. 1. p. 10.) non ita magni habendum est, si reputemus, artem criticam, quae accurata grammaticae cognitione nitatur, ab Heynio non excultam esse. — Sed ut redeam ad rem, haec ab Heynio mota dubitatio non multum ad labefactandam sententiam Bentleii effecisse videtur, praecipue propterea, quod idem versus apud Donatum mutata lectione inventus est. — Post Heynium plures versus, in quibus soluta genitivi forma reperitur, a viris doctis allati sunt, ita ut nonnulli philologi nostri temporis haec omnia a Bentleio speciosius, quam verius disputata esse arbitrentur. — Praecipui iique gravissimi adversarii Bentleii exstiterunt Imm. Huschkius

(Analectt. literr. p. 50 seqq.) et nuperrime Car. Frid. Heinrichius (Cic. de re publ. libror. reliqua Ed. major. p. 155 sqq.), quorum prior locis, qui ad hanc disquisitionem pertinent, e veteribus grammaticis collectis Bentleii sententiam ipso Lucilii testimonio refutare studet, alter vero utramque genitivi formam jam Ciceronis aetate usitatam, et utra earum utaris solo aurium examine ponderandum et dijudicandum esse censet. His duumviris adnumerandi sunt Jahnius in editione Gierigiana Ovid. Metam. Lps. 1823. Tom. II. p. 465., Forbigerus in libello de Lucretii carmine p. 75 seqq., cujus sententia iisdem verbis repetita legitur in ipsius editione Lucretii Lps. 1828. p. 445. Spengelius ad M. Terentium Varronem de lingua Latina Berol. 1826. p. 8 seqq. Sed singulas singulorum virorum doctorum sententias suo quamque loco ea, qua par est, diligentia examinabo.

Brevi hoc conspectu, quid in hac grammatica quaestione dijudicanda praestiterint viri docti, praemisso, jam ad ipsam disquisitionem pervenimus, quam ut recte instituamus duarum praecipue rerum rationem habere debemus, et locorum poëtarum, in quibus genitivus in ii desinens invenitur, et testimoniorum grammaticorum veterum. Pedestrium scriptorum libros manuscriptos, quibus nonnulli ad comprobandam suam de hac re sententiam usi sunt, con-

sulto neglexi, quippe quibus nulla sit aucto- ritas, quam, ne loquar de notissima scribarum socordia, eorumque studio antiquas verborum formas cum iis commutandi, quae ipsorum aetate in usu erant, vetustissimi, quos habemus codices, recentioris sint aetatis, quam ut ex iis certi aliquid colligi possit. Non idem de hac re sentit Jahnius ad Ovid. Metam. XV. 727. Tom. II. p. 465. Gier. — Conferatur vero Porson. Praef. ad Eur. Hecub. p. IV.

In sententiis grammaticorum, qui inter se valde dissentiunt, examinandis incipiam a Nigidio Figulo, doctissimo Romanorum grammatico, Varrone fortasse excepto, cujus verba, cum a nemine adhuc in dubium vocata sint et poëtarum usu, nonnullis corruptis vel dubiis locis exceptis, comprobentur, tanquam fundamentum totius disquisitionis in initio ponenda censui. Ille enim, „Voculatio," inquit, „qui poterit servari, si non scimus in nominibus, ut *Valeri*, utrum interrogandi an vocandi sint? nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est, quam prima, deinde novissima dejicitur: et in casu vocandi summo tono est prima, deinde gradatim descendunt." — Ex his verbis, quae apud Gellium Noctt. Att. XIII. 25. leguntur, luculenter apparet, P. Nigidii temporibus, qui Ciceronis aequalis erat, genitivum, quem Nigidius casum vocat interrogandi, et vocativum, quem nominat casum


vocandi, non in ii, sed in i semper desivisse, eosque solo accentu distinctos esse. — Rem vero aliter se habere, a Charisio et Prisciano docemur, qui genitivum in ii exeuntem, sua aetate fortasse usitatum, solum verum esse affirmant, regulae Varronis, ni fallor, obsequentes, nominativo nunquam minorem esse genitivum. — Charis. apud Putsch. p. 60: „Lucius, Aemilius et cetera nomina, quae ante u habent i, duplici ii genitivos singularis finire debent; ut necesse sit adversus observationem (scrib. fort.: *ut necesse est, ne sit adversus observ.*, vel: *ut ne sit adv.* cf. infra Prob. gramm. instit. lib. I. p. 1396. 29. Putsch.), nominativo non minorem fieri genitivum." — Idem p. 11. Putsch.: „Illud memineris, quod omnia nomina masculina, quae ante us syllabam i habent, in genitivo singulari eandem i litteram geminatam recipiunt. In vocativo vero, ne similis sit genitivo singulari, unam i recipiunt, ut *hic Concordius, hujus Concordii, o Concordi.* — — — — — — Item neutra, quae ante um syllabam i habent, genitivo singulari non solum, verum et dativo et ablativo plurali eandem i geminatam recipiunt, ut *hoc studium, hujus studii, his et ab his studiis.*" — Idem p. 54. Putsch.: „Nam et Virgilius *Allia serpillumque* (Ecl. II. 11.) per i dixit, quod utique in genitivo debet geminari, ut *hujus pallii, scrinii, dolii*, quod

genitivus numero syllabarum minor esse nominativo non debet. Quare magis denotati sunt (leg. fort. *denotandi sunt*), qui maluerunt per unum ī *imperi* et *ingeni* dicere, quam declinare secundum regulam *imperii* et *ingenii*, geminata ī littera. Invenimus et per ī unum a Virgilio dictum: *Ille urbem Patavi* (Aen. I. 247.) pro *Patavii*. — Plus in hac observatione geminatum ī in masculinis animadvertimus. Nam cum *hic Aemilius*, *hujus Aemilii* declinemus, in vocativo tamen ī literam subtrahimus; nam si *o Aemilie* et *Julie* dixeris, Graece declinaveris." — Cassiodorus e Luc. Caesellii*) Vindicis scriptis p. 2318. Putsch. haec servavit: „*Lucii*, *magnii*, *magii* cum in genitivis singularibus dicimus, interest, quos nominativos habeant. Proinde enim intererit, utrum per duo ī an per unum debeant scribi. — Si *Lucus*, *magnus*, *magus* sunt nominativi eorum, unum ī in genitivo habebunt, plurali quoque nominativo et vocativo, sed et dativo et ablativo similiter scribentur; si autem *Lucius*, *magnius*, *magius* proferantur, duo īī in genitivo habebunt, ut *Lucii*, *magnii*, *magii*; quod ipsum Lucilius adnotavit, cum a *numero Numerius* discerne-

*) Sic hoc nomen pro vulgato *Caecili* scribendum esse monet Lindemannus in Select. e poet. Lat. carm. P. I. p. VII.

ret." — — Prisc. XII. 5. §. 22. ed. Krehl. Vol. I. p. 552. (quae quidem verba non Prisciani, sed interpolatoris cujusdam esse, recte monet Heinrichius. l. l. p. 156.): „Solent autem auctores etiam per synaeresin unam i ponere, pro duabus, ut Virgilius in primo (v. 113.) *Et crudelia secum fata Luci* pro *Lucii*, et *Ille urbem Patavi* (Aen. I. 247.) pro *Patavii*. Juvenalis in III. (v. 123.) *Antoni gladius potuit contemnere si sic*, pro *Antonii*." — M. Val. Probi Gramm. Institut. Lib. I. p. 1396. 29. Putsch. (Tom. I. p. 52. Lind.): „Necessarium esse existimo, rationem horum nominum et declinationis exponere, quae genitivi singularis vel nominativi et vocativi pluralium i litteram ultimam debeant duplicare. Ea nomina, quae nominativo casu singulari i litteram vocalem ante ultimam syllabam habuerint, in omni genere i litteram debent necessario geminare, non solum metri gratia, sed etiam propter vitium βαρβαρισμοῦ, et ut ne sit contra rationem nominativo brevior genitivus, ut *Chaoniique patris* (Virg. Georg. II. 67.) quia dicimus *hic Chaonius*. — Ergo rite i litteram geminavit, ut *Massylius Massylii*. At si ante ultimam syllabam in nominativo casu V litera (scrib. *I litera)* non fuerit, nullo modo duplicari potest." — Velius Longus p. 2221. Putsch.: „Quaeritur item *Julii* et *Claudii* et *Cornelii*, utrum per unum I producte, an per duo de-

beat scribi. et ratio exigit, ut *hujus Julii* per duo ii scribamus, tam hercule quam *hujus pallii* et *hujus graphii*. Non enim tantum in masculinis hoc quaeritur, sed etiam in neutris; quoniam id postulat ratio. Nam quaecunque o litera dativo singulari terminantur, o in i mutant, manentibus ceteris literis, et sic genitivum faciunt, ut *maximo maximi*, *candido candidi*. Sic ergo in *Julio* nihil aliud, quam o debet mutari et in *pallio*; atque ut fiat *Julii* et *pallii*, aeque hanc eandem servare debemus rationem in nominativis pluralibus, etiamsi pauciores habent syllabas in nominativo singulari." Scaurus de Orthogr. p. 2257.: „Deinde per detractionem hoc modo scribendi ratio corrupta est, quibusdam uno i scribentibus genitivum eorum nominum, quae ius nominativo finiuntur, ut *Antonius*, *Antoni*, *Tremelius*, *Tremeli*; exigente regula, ut in horum genitivis i litera geminetur: quoniam genitivus singularis non debeat minorem numerum syllabarum habere, quam nominativus; quinimo interdum etiam major fit." — Augustin. de gramm. p. 1978.: „Haec (neutra, quae in ium exeunt) in genitivo per duo ii scribuntur." — His grammaticorum testimoniis, a Norisio et ex parte etiam ab Huschkio allatis, addas *Artem P. Consentii de duab. orationis partibus, Nomine et Verbo p. 2043. Putsch.*: „Diximus genitivum interdum i litera terminari, ut *hujus*



apri, sed ea res differentiam recipit; plerumque enim geminat *i* literam. Quando igitur gemina terminari debeat, nominativus singularis ostendet, si enim in us vel in um, praecedente *i* vocali, nominativus fuerit terminatus, *i* litera in genitivo geminabitur, ut *Tullius*, *Jolium*, *Tullii*, *Jolii*. — Quamquam a plerisque jam per unam *i* efferatur iste genitivus, ut est: *promissa Lavini Moenia* (Aen. I. 258.), *Pauperis et tuguri* (Ecl. I. 69.), *nec cura peculi* (Ecl. I. 33.) — cf. Maxim. Victorin. de ratione metror. p. 1967 s. fin. Putsch. (Lindem. I. p. 297 seq.)

Sed his grammaticorum rationibus tantum abest, ut certum illud Nigidii Figuli testimonium labefactetur, vel plane refellatur, ut contra confirmetur. Si enim sine opinione praejudicata et Nigidii Figuli et Charisii, Vindicis, reliquorum sententias inter se comparamus, nihil aliud profecto inde colligi licet, nisi contractam genitivi terminationem, Augusti temporibus usitatam, grammaticorum illorum aetate minus comprobatum fuisse. Nec temeritatis accusetur, qui ex hoc ipso acerrimo studio, quo grammatici geminatam literam *i* defendunt, patefactum esse censeat, apud plures vel potius plerosque, ut ipse Consentius fatetur, grammaticorum aequales contractam genitivi formam etiam tum in usu fuisse. — cf. Niebuhrium ad M. Tulli Ciceronis orationum

fragmm. Romae 1820. p. 57. — Quae cum ita sint, nulla sane est causa idonea, qua commoti Nigidii Figuli testimonium in dubium vocemus. At afferuntur a Charisio Lucilii versus, quibus suam sententiam confirmet. Lucilii? — Est profecto ille gravissimus et antiquissimus hujus rei auctor; cujus versibus, si re vera Charisii sententia comprobetur, testimonium Nigidii Figuli, quod certissimum habuimus, valde incertum reddi haud infitiamur. „Lucilius tamen" (sunt verba Charisii p. 60. Putsch.) „et per unum i in genitivo scribi posse existimat, ait enim:

> Quare servandi numeri et versus faciendi,
> Nos *Caeli*, *Numeri*, numerum ut servemu' modumque.

Nunquam enim hoc intulisset, nisi et *Caelii* et *Numerii* per ii *hujus Numerii* faciendum crederet." — Adde Bedam de metris p. 2373. Putsch.: „Cujus scansio versus pars est praefati, nisi forte regulam Lucilii secuti sunt, qui *Lucilium* et *Aemilium* et cetera nomina, quae i ante u habent, non solum in vocativo, sed et in genitivo casu per unum i scribi posse existimant."

Quam lubricum sit, sensum duorum versuum, qui omni conjunctione cum antecedentibus et sequentibus careant, certo indicare, non est, quod moneam. Si enim Lucilii verba sine ulla Charisii explicatione nobis supersint,

quid impediat, quaeso, quo minus ea de nominativo plurali dicta censeamus. Nam eadem metri difficultas, quam e Charisii sententia Lucilius contracta illa genitivi terminatione evitare studuit, hexametrum scribenti existeret in nominativo plurali verborum *Caelius*, *Numerius* et simm., quae contractio analogia verborum *dii* et *di* (cf. Santenius ad Terentian. Maur. p. 428, et Ed. Wunderi Varr. Lectt. librr. aliquot Ciceronis p. LXXX.) defendi posset. Sed concedamus etiam, Lucilium in his versibus de genitivo singulari locutum esse, eumque, ut Charisii verbis utar, hoc nunquam intulisse, nisi et Caelii et Numerii per ii hujus Numerii *faciendam* crederet, nemo, spero, nisi quis temerarius, inde statim colligat, genitivum in ii desinentem etiam *in usu fuisse*. Immo majore fortasse jure ex his Lucilii verbis sententia plane contraria, primitivam, ut ita dicam, secundi casus flexionem in ii Lucilii temporibus jam ex usu communis vitae plane evanuisse probabilis reddi potest. Rationem enim, quae momentum rei faciat in nexu positam esse, quo versus commemorati cum antecedentibus cohaeserint, non est, quod moneam. Quid igitur? si hunc fere versuum contextum fuisse statuamus. Lucilius, ut in satiris suis novum tractavit argumentum et ab eo discrepans, in quo ante eum versari soliti erant satirarum scriptores, Ennius et Pacuvius,

novaque usus est externa forma (quapropter etiam Horatius Sat. I. 10. 48. eum inventorem satirae nominat), ita etiam ipsa recte scribendi ratione, quam Graeci orthographiam vocant, ab aequalibus suis discessit. — Quod sine dubio offensioni fuit cum aliis tum librariis, quibus satiras suas describendas tradiderat, et isti, quae et fuit et etiam nunc est horum hominum socordia, viam vulgarem ingressi, novam hanc scribendi rationem in describendis satiris neglexerunt moremque receptum secuti sunt. — In simili re de scribarum socordia questus est Varro de ling. Lat. VIII. 28. p. 429. Speng.: „De hoc genere parcius attigi, quod librarios spinosiora indulgentius elaturos putavi." In hos librarios conscripsit Lucilius satiras, teste Isidoro, in quibus suam scribendi rationem argumentis defendebat librariorumque scribendi rationem, quae vulgato more et consuetudine jam inveterata nitebatur, acriter perstringebat. — cf. *Isidorus* *): „Orthographiam, id est scripturam rectam, contra imperitiam librariorum Lucilius poeta primum scripsit." — *Terentius Scaurus* p. 2255. Putsch.: „Lucilius

*) Hunc locum in ea, qua utor, Isidori editione Godofrediana. Colon. Allobr. 1624. 4. non inveni. — Descripsi eum e collectione fragmentorum Lucilianorum, annexa Bipontinae editioni Juvenalis 1785. p. 202.

in IX Satirarum de orthographia praecipiens." — *Velius longus* p. 2214: „Nam apud Lucilium in IX, in quo de literis disputat et rell. *Quintilian. Inst. orator. I.* 7. 19. *p.* 183 *ed. Spald.* de nominativo plurali primae declinationis disserens haec addit: „Est in hac quoque parte Lucilii praeceptum." Id. I. 7. 15.— Porphyr. ad Hor. Sat. I. 10. 53. — Comprobantur haec testimonia fragmentis, quae e nono satirarum libro Lucilii servaverunt grammatici et scholiastae, mutilatis illis et corruptis, ut fere omnia, quae supersunt Lucilii fragmenta. — Ad illas scripturae mutationes, quas Lucilius fecerat, haud dubie referendum est, quod genitivum verborum in ius et ium terminatorum, ab aequalibus suis per unum i pronuntiatum et scriptum, interdum geminata litera i extulerat. Librarii vero, insolentem genitivi formam nihil curantes, ubique, etiam contra metrum, alteram terminationem, usu quotidiano tritam, retinuerant. In nono igitur satirarum libro inter alia etiam propter hoc peccatum librarios fortasse vituperaverat, seque consulto certis quibusdam locis formasse genitivum per duplicem ii ostenderat poëta. — Docuerat fortasse, quod est ejus studium casus et numeros nominum ipsis terminationibus discernendi, docuerat fortasse, inquam, primitivam, quam vocant, genitivi terminationem, in ii exeuntem, quae Lucilii temporibus in-

solens erat, denuo in usum revocandum esse, quia et analogia omnium substantivorum, ex qua nunquam genitivus minor esset nominativo, et difficultas genitivi a vocativo discernendi id postularet; propterea igitur genitivum per ii faciendum, neque tamen plane respuendum esse alteram contractam terminationem, cum, si quis in hexametris (de his enim praecipue intelligenda sunt Lucilii verba: *versus faciendi)* genitivos Caelii, Numerii, brachii simm. usurparetur, omnis numerus et modus deleretur hexametri, quippe qui trochaeum nusquam nisi in fine admitteret;

Quare servandi numeri et versus faciendi
Nos *Caeli*, *Numeri*, numerum ut servemu' modumque. —

Conjectura de nexu sensuque horum Lucilii versuum, quam modo proposui, stabiliri fortasse et verisimilior reddi potest ipsis Lucilii fragmentis. Collatis enim inter se hexametrorum fragmentis, in quibus genitivus verborum in ius et ium terminatorum legitur, apparet, Lucilium ubique contractam formam usurpasse, eumque hoc fecisse metri necessitate adductum, sive, ut ipsius verbis utar, ut numerum et modum servaret. — Gell. N. A. II. 24. p. 228. ed. Conr. (et Macrob. Saturn. III. 17.) *Fanni* Gell. N. A. IV. 17. p. 365. *Grani*. Cic. de Fin. bonor. et mal. I. 3. 9. *Ponti*, *Tritanni* (sic Ernest. Goer. Orell.; vulgo le-

gitur *Ponti*, *Titii*, *Anni*, de qua lectione infra loquemur). Nonius s. v. *Tricones* p. 22. 29. ed. Merc. *Panaeti*. Non. s. v. *priores* p. 427. 31. ed. Merc. *Calpurni*. Non. s. v. *poësis* p. 428. 7. ed. Merc. *Enni*. Fest. s. v. *Tapullam legem* p. 561. 4. ed. Dac. *Opimi* *). — Fest. s. v. *surra* p. 492. 2. Dac. *Oti*. Donat. ad Ter. Eun. II. 3. 45. *triclini*. — Donat. ad Ter. Phorm. II. 1. 57. (cf. Martial. XI. 90. 4.) *Lucili*. Porphyr. ad. Hor. Od. I. 27. 1. *Hortensi*. idem ad Hor. Sat. I. 6. 12. *Valeri*. idem ad Hor. Sat. I. 6. 106. *cantheri*. Charisius p. 60. Putsch. *Luci*. — — *Corneli Cornificique*. — — *Lucili*. — — Eandem genitivi formam propter metrum usurpatam invenimus in his jambicis versibus. Non. s. v. *tergora* p. 414. 7. ed. Merc.

Orátionem fácere compendí potest.

Non. s. v. *interficere* p. 330. 24.

Priús non tollas, quám *Tulli* animum ex nómine hominémque ipsum interféceris. Ed. Merc. praebet: *nomine atque hominem*.

Non. s. v. *nobile* p. 352. 4.

---

*) Obiter moneo, in hoc versu pro *contere* fortasse legendum esse *conlegae*; quod Vossius in Etymol. s. v. *coena* et Dousa proponunt: *concoenae*, vereor, ne hoc verbum omni careat analogia. Magis mihi placet Scaligeri emendatio: *concerrae* i. e. *congerae* sive *congerrae*.

Tum illúd epíphoni, quód etiam tum
nóbile est.

Fort. scribendum est: quod *etiamnum gnobile* est. cf. Test. fragm. p. 12. Dac. *nobilem* antiqui pro *noto* ponebant et quidem per G literam. Sic ed. Godofr. p. 335. 24. Colon. Allobr. 1622. 4.; Dacerus: *per c literam*. — Verbum *epiphonium* in lexicis desideratur.

Soluta genitivi forma nusquam in Lucilii fragmentis, quod sciam, invenitur. Legitur quidem apud Nonium s. v. *efferre* hic versus Lucilii:

Non idcirco extollitur vel irae vel
gaudii dator.

ubi necessario *gaudi* scribendum est, ut metrum sibi constet. Sed cave putes hunc versum esse Lucilii, cum in editione Merc. p. 297. 32. idem sic proferatur:

Nón iccirco extóllitur, nec vítae vegrandí datur.

Et haec lectio verior sane est altera. — Alio loco enim apud Nonium s. v. *vegrande* idem versus iterum legitur, ubi edit. Godofred. p. 558. 15. plane consentit cum editione Merceriana. —

Quid tandem? — His locis, quorum duo Non. s. v. *poesis* p. 428. 7. et Fest. s. v. *surra* p. 492. 2. tam depravati sunt, ut oleum et operam perdant, qui critice conjecturali, novis codicibus non adhibitis, manum scriptoris re-

stituere conentur, contracta genitivi forma legitur, qua Lucilium in verbis *Fannius*, *Granius* et rell. jam propter metrum usum esse nemo erit, quin fateatur. Mirum sane est, nullum inveniri exemplum genitivi in ii terminati, quem a Lucilio inductum esse et illi Lucilii versus, propter quos tota haec digressio instituta est, et Charisii verba testantur. — Erunt fortasse, qui hanc ob causam de nostra conjectura, novam illam solutam genitivi formam in satiris Lucilium hic illic usurpasse, quod cum a librariis neglectum sit etiam in iis locis, ubi metrum jam solutam formam requireret, librarios hoc nomine a Lucilio vituperatos et meliora edoctos esse, subdubitent. At servatum est fragmentum, quo id, quod conjecimus, optime confirmari videtur. Legitur enim apud Nonium s. v. *crepare* p. 255. 14.

Pérerepa pugnám *Pompili*, fáta Cornelí cane. —

Lectio editionis Godofredianae p. 629. 34.: Percrepa pugnam Pompili *factam Corneliane*, manifesto corrupta est. — Ut versus recte procedat, scribendum est:

Pércrepa pugnám *Pompilii*, fáta Cornelí cane.

Sic etiam ab ipso Lucilio hunc versum scriptum esse existimo; librarios vero, nihil metrum curantes, novam genitivi formam neglexerunt, et contractam restituerunt, quippe quae

quotidiano usu solita esset. — Propterea etiam apud Gellium II. 24. p. 230. Conr.

— — — — — — — — — — — — — — legem
Vitémus Licinii

scribendum esse puto pro *Licini;* et apud Cic. de Fin. bon. et mal. I. 3. 9., ubi Ernestius, Goerenzius, Orellius Ennii versum sic proferunt:

Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,

altera vulgata, quam vocant, lectio „*Titi, Anni*," non temere respuenda est.

Non tantum quidem mihi sumo, ut solam veram conjunctionem versuum Lucilii:

Quare servandi numeri et versus faciendi,
Nos Caeli, Numeri, numerum ut servemu' modumque.,

me invenisse arbitrer, modo ne quid contra veri similitudinem protulisse videar. At, inquies, cave, ne temerarii partes agere videaris, cum Lucilium, Romanum, solutam genitivi terminationem usurpantem, ut genitivum a vocativo discerneret, nimis sollicitum fuisse existimes, de confundendis consonantibus casibus, quam confusionem si quis barbarus amovere studuisset, vituperaretur potius, quam excusaretur. — Audio; et ad meam qualemcunque sententiam confirmandam unum idque simillimum afferam exemplum. — Praecipit, ait

Quintilianus Instit. Oratt. Lib. I. 7. 15., praecipit Lucilius:

> Jam pueri venere: E postremum facito atque J,
> Ut puerei plures fiant.

ac deinceps idem:

> Mendaci furique addes E, cum dare furei
> Jusseris

cf. Velius Longus de Orthogr. p. 2220. Putsch., qui integriorem hunc locum affert. — Neminem fugit, Lucilium hujusmodi scriptura numeros (pueri — puerei) et casus (furei — furi) distinguere voluisse. — Non temere igitur Lucilio studium illud casus numerosque ipsis terminationibus inter se discernendi tribuisse mihi videor, quod pluribus etiam exemplis confirmare possim. — Hoc unum autem spero sufficiet. Aliter quidem, sed non recte, opinor, de hac re judicat Lindemannus, Carm. e poet. lat. select. p. v. „Veteres enim," inquit, „ut jam Quintiliani (I. 7. 7. 8.) exemplo docuimus, hac in re nimium fuere faciles, ne dicam leves, et modo hanc modo illam sequebantur scribendi rationem, nulla, ut equidem puto, alia de causa, quam quod inter minutias et quisquilias ac sese indignas quaestiones talia referebant. Cujus rei testimonium est locus Lucilii, quem idem Velius Longus p. 2225. servavit:

— — — — — atque accurere scribas
D ne an C, non est quod quaeras
atque labores." —

Haec Lindemannus. At Lucilii saltem testimonio uti non debebat, quo suam confirmaret sententiam. — Lucilius enim probasse videtur assimilationem in verbis, cum praepositione aliqua conjunctis, modo ne qua inde oriretur ambiguitas. — Non est, inquit Lucilius, cur dubites, num verbum *accurrere* litera D an C scribas, cum currere cum praepositione *a* sive *ab* conjungi non soleat. — Eodem modo aliud Lucilii fragmentum apud Velium Longum l. l. explicandum censeo. „Abbire etiam quidam geminata B maluerunt et dicere et scribere, ut intermissa D: et in hoc nullam differentiam putat esse Lucilius, qui ait: *Abbire multum est D si et an B habet.*" — Pro v. *abbire* recte reposuit Lindemannus *abbitere*; pro v. *ut intermissa* scripsit *quam intermissa*, de qua emendatione dubito, cum nesciam, num verbo *intermittendi* usi sint grammatici sensu verbi *interponendi*; facilius esset: *et* vel *atque intermissa* i. e. omissa. — Lucilii versum sic correxit:

— — — — — — abbitere *nullum* est
discrimen, *D an B habeat*. —

Equidem totum Velii Longi locum sic scribendum arbitror: Abbitere etiam quidam geminata B maluerunt et dicere et scribere, atque in-

termissa D: et in hoc nonnullam (nullam, vel: multam) differentiam putat esse Lucilius, qui ait:

— — — — — — abbitere multum est,

D siet an B, habet — — — — — — —

Sententia manca est. — — Fortasse etiam v. *habet*, a librario Lucilii verbis falso additum, ad sequentia verba pertinet. Pergit enim Velius Longus: „*Ex* praepositio *habet* observationem, in qua et rell.“ — Alterum *habet* inseruit librarius, quod ei necessario faciendum erat, cum prius *habet* particulam versus Luciliani duceret. — Utcunque est, id saltem e Lucilii verbis patet, poetam assimilationem in verbo *adbitere* improbasse, cum inde facile oriretur confusio cum v. *abbitere*, e praepositione *ab*, et verbo *bitere* composito. — — Sed hoc Lucilii numeros casusque discernendi studium a Velio Longo p. 2222. Putsch. improbatum est, qui nonnullorum grammaticorum praeceptum, genitivum singularis numeri primae declinationis scribendum esse per ai, nominativum pluralis numeri vero per ae, afferens, Sed scilicet, inquit, nihil obstat, quominus hoc aut illo modo scribamus in utroque numero, cum multa alia quoque nobis excogitanda sint, si velimus diversitates (fort. leg.: *diversitate*) scriptionis ambiguitatem casuum numerorumque discernere. — Sed ut tandem ad interruptam disputationem nostram redeam,

fac etiam, contractam genitivi terminationem solius metri causa inventam esse, concedas tamen necesse est, hanc metri difficultatem in solo fere hexametro oriri posse, minime vero in jambicis et trochaicis versibus. Unde vero genitivus ille in ī desinens apud comicos, qui, si qui alii, verborum formas, in vita communi usitatas, retinere debebant? Quae cum ita sint, Lucilii verba aut praetermittenda esse puto, cum, omni contextu carentia, nullam comprobandi vim habeant, aut sic explicanda, ut modo feci. —

Post Lucilium Varro, Ciceronis aequalis et vir doctissimus, genitivum in īī exeuntem defendisse dicitur, quod sine dubio non fecisset, nisi altera genitivi terminatio in usu fuisset. — Charisius enim p. 60. Putsch. „Varro," inquit, „id (nominativo non minorem faciendum esse genitivum) tradens adjicit, vocativum etiam singularem talium nominum per duplex īī scribi oportere, sed propter differentiam casuum corripi." — Sed verisimile non est, Lucilium praeceptis suis usitatam loquendi et scribendi rationem removisse. Quae res Varroni quoque non melius cessisse videtur. Ita enim fert ipsa rei natura, idque e Nigidii Figuli verbis satis apparet. Immo etiam ex ipsis Varronis verbis colligi potest, aetate ipsius solam contractam genitivi formam usitatam fuisse. Is enim in libr. de ling. Lat. VIII. 18.

p. 419. Speng. „Sic ex diversis," inquit, „verbis multa facta in declinando inveniuntur eadem: ut cum dico ab Saturni *Lua Luam* et a solvendi verbo *luo luam* (sic scripsi, Spengelio emendandi viam jam indicante; Codd. habent: ut eum dico ab Saturni *lua, luam* et a solvendo *abluo, abluam.* — Ceterum cf. Gell. XIII. 22. *Lua Saturni.* —). Omnia fere nostra nomina virilia et muliebria multitudinis cum recto casu fiunt dissimilia, cum dandi casu similia; ut mares Terentiei, feminae Terentiae eadem in dandi viris Terentieis et mulieribus Terentieis. — *Dissimile Plautus et Plautius et commune* (Speng. communia) *hujus Plauti et Marci Plauti.* Ad quem locum illustrandum Spengelius l. l. p. 10. optime affert Gellium III. 3. p. 270. Conr. — Etiam si sumamus, quod Spengelius arbitratur, haec Varronis verba non tam ipsius sententiam declarare, quam dicta esse ex mente adversarii, analogiam respuentis, quem sibi obloquentem finxerit Varro (Speng. p. 4 seq.), etiam adversarius iste hoc certe exemplum, quo suam probaret sententiam, nequaquam afferre potuisset, nisi ea aetate haec sola terminatio genitivi in ī usitata fuisset. — Analogiam ut defenderet, Varronem in libro nono de ling. Lat., e quo sine dubio est Varronis sententia, quam Charisius I. p. 60. laudat, adversario fortasse probare studuisse e ratione omnium nominum

substantivorum alteram genitivi terminationem in ii, tum quidem inusitatam, mihi persuasum habeo. — Huc accedit auctoritas Plinii, qui, ut Charisius p. 60. Putsch. refert, „in quinto dubii sermonis dicit, esse quidem rationem per duo ii scribendi, sed multa jam consuetudine superari." — Eandem sententiam profert Martianus lib. III. cap. de analogia, p. 88 ed. Lugdunens. 1658. —, a Maio ad Cic. de Rep. I. 1. primum citatus: „consuetudo et auctoritas veterum, *ingeni*, *consili*, *imperi* per tres syllabas maluit dicere." — Restat adhuc locus Prisciani p. 735. ed. Putsch. (Krehl. Tom. I. p. 299): „Frequenter tamen invenimus veteres in hujuscemodi genitivis, id est geminantibus i, subtrahere alteram ex eis. Hoc autem faciunt metri causa. Nunquam enim (fort. *etiam*) minores vult habere syllabas genitivus nominativo." Tota haec Prisciani observatio ex illo Charisii loco, ubi Lucilii versus commemorantur, manasse videtur, ut jam Huschkius l. l. monet, nec mireris, Priscianum et Vindicem, cujus verba supra apposui, versus illos eodem modo, quo Charisius, intellexisse. Contractam enim genitivi terminationem non propter metri difficultatem inventam esse, sed eam solam in vita communi usitatam fuisse, satis superque, opinor, ostendunt verba Nigidii Figuli, Plinii et Martiani, et ex eo etiam colligi licet, quod Varro hanc secundi

casus flexionem tam obnixe defendere studet. Si enim genitivum in ī desinentem metri causa poëtae tantum sibi indulsissent, tam multis profecto verbis opus non erat, quibus altera genitivi forma, in iī terminata, defenderetur; nec Varro hoc monere omitteret. Quanta sit in hac re habenda Prisciani auctoritas, ex eo colligi potest, quod notum illud *mancipi* dativum voc. *manceps* habet (Prisc. VI. p. 682. Putsch. Tom. I. p. 226. Krehl.). — Contractum genitivum vocabuli *mancipium* esse recte docuerunt Voss. de art. gramm. III. 46. Salm. de usur. VIII. Jac. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 4. Tom. II. p. 46. Bauer. — Ceterum constat sibi grammaticus, voc. *mancipi* dativum esse tradens, cum ex ipsius sententia contracta genitivi forma a poetis tantummodo metri causa inventa et usurpata sit, quam in quotidiano sermone a priscis Romanis usurpatam, et in solemnibus quibusdam loquendi rationibus ne tum quidem obliteratam esse, cum altera soluta genitivi forma in usu venerit, hoc ipsum vocabulum *mancipi* optime docet. Nihil aliud igitur e Prisciani verbis convinci potest, nisi illum, cum apud poëtas passim genitivum in ī exeuntem inveniret, Lucilii praecepti, quod male intellexerat, memorem, id metri causa factum esse putare, quod consuetudine et usu apud antiquiores saltem comprobatum erat. —

Aptissimus hic erit locus de dubitatione, a

Struvio allata, disserendi, quae etiam e difficultate quadam orta est, quam genitivus, in ī desinens, hexametros scribenti imponit. Suspicatur enim vir doctissimus in egregio libro, qui est de declinatione et conjugatione Latin. Regiom. 1823. p. 13., quamvis ei de veritate observationis Bentleianae persuasum esse videatur, nonnunquam poetas, metri necessitate coactos, sibi indulsisse genitivum in īī exeuntem. — Sumamus enim, substantivum aliquod secundae declinationis, quod in ĭus vel ĭum terminatur, in nominativo formare paeonem primum, necesse est, solutam genitivi terminationem choriambum, alteram contractam vero amphimacrum formare; illa hexametro semper adaptari potest, haec vero tantummodo, si litera vocalis sequatur, qua ultima genitivi syllaba elidatur, aut, quod Struvius addere poterat, corripiatur, cujus correptionis exempla plura infra afferemus. Negari quidem non potest, magnas inde oriri poetis difficultates, praecipue in nominibus propriis, sed eae non ita sunt comparatae, quae evitari omnino non possint. Quidni in dativo plurali nonnullarum vocum, ut *brachiis*, *anxiis*, *scorpiis* simm. novas sibi finxerunt formas, quibus easdem difficultates, quas et contracta genitivi terminatione nonnunquam oriri vidimus, removerent? Haud nescius sum, in inscriptionibus nonnunquam contractos inveniri

dativos et ablativos, in iis terminatos, sed de hac lapicidarum scriptura vide, quae infra monebo. Errat, ni fallor, Schneiderus Gr. Lat. I. 1. p. 120, qui has formas ex elocutione Romanorum originem duxisse suspicatur. Poëtae enim comici nusquam hac forma usi sunt. — Verbum *gratis*, quod e voce *gratiis* contractum esse recte monet Bentleius ad Ter. Adelph. IV. 7. 26., non magnam probandi vim habet, cum unicum hujus contractionis exemplum sit, atque plane in adverbii significationem transierit. Cf. etiam Zumpt. ad Cic. Verr. IV. 8. p. 670. — His rationibus commotus, viro doctissimo assentiri non possum in eo, quod poëtas propter solas metricas difficultates, quae variis modis removeri poterant, ab usitata loquendi ratione et consuetudine recessisse censet. —

Jam vero in eo sum, ut quae de grammaticorum sententiis disputata sunt, uno comprehendam conspectu, et demonstrem, quid ex solis grammaticorum testimoniis, nulla poëtarum locorum habita ratione, de vera genitivi terminatione evinci possit. Totius igitur disputationis haec erit summa. Secundum omnem analogiam statuendum est, solutam genitivi formam in ii exeuntem, primitivam, quam vocant, fuisse, quae quidem iis temporibus, quibus Romani res gestas vel leges literis consignare coepissent, e quotidiani sermonis usu

plane evanesceret studio illo breves syllabas contrahendi vel opprimendi, quod in vita communi apud omnes populos tam vulgatum est. Idque in his genitivis eo facilius fieri potuit, quo verisimilior eorum sententia est, qui Romanos etiam nominativos Valerius, imperium simm. per synaeresin elocutos esse arbitrantur. — Lucilius solutam formam denuo in usum revocasse videtur; quod a Varrone factum esse, extra omnem dubitationem positum est. Nequaquam vero haec duumvirorum sententia, ratione quidem, sed non usu confirmata, efficere potuit, ut inveterata loquendi et scribendi ratio illico removeretur. Hoc cum per se jam verisimile est, tum certissimo Nigidii Figuli testimonio confirmatur. — Senescentis Augusti temporibus, a nonnullis poëtis nonnunquam soluta genitivi terminatio usurpata est, quod e grammaticis quidem effici non potest, verum tamen ex ipsis ejus aetatis scriptoribus intelligitur. Ex egregia enim Bentleii observatione, saepius jam a nobis laudata, Propertius primus bis vel ter, Ovidius saepius, et post eum alii omnes geminam literam i in genitivo usurpant. Contractam autem genitivi terminationem usque ad Neronem praevaluisse, e supra jam commemoratis verbis Plinii, qui sub Nerone libros de re grammatica composuit, optimo jure, ni fallor, colligi potest. — In communi vita contracta forma procul dubio

diutius mansit, quam apud scriptores, donec tandem Charisii et Prisciani temporibus altera magis magisque obtinuit. —

Provocavi in hac expositione ad Bentleii observationem, tanquam certissimam et nulli dubitationi subjectam, quamquam, ut supra jam monui, plures poetarum locos, qui huic observationi contrarii esse videntur, viri docti in medium protulerunt. Quod cur fecerim in hac altera nostrae disputationis parte exponam. —

In examinandis poetarum locis hunc fere ordinem disputandi sequar. Cum in hac scriptione mihi proposuerim, quantum per me fieri posset, omnes locos Bentleianae observationi contrarios commemorare, primum dicendum est de versibus hexametris et deinde disputandum de poetarum scaenicorum versibus. —

I. Versus hexametri, et quidem

a) ii, qui Bentleii observationi adversarii a viris doctis temere habiti sunt, aut justis de causis spurii existimantur, aut in quibus e codicibus vera jam restituta est lectio. —

1. Lucret. VI. 433.

paullatim, quasi quid pugno brachiique superne
conjectu trudatur.

Sic in omnibus editionibus, quod sciam, sine ulla Codd. varietate hic versus legitur. Scri-

batur necesse est *brachique*, cum verbum *brachium* primam syllabam producat, quod Struvium fugerat, qui aliud quid agens hunc versum tanquam Bentleii observationi adversantem in Addit. ad p. 13. libri laud. protulit. Idem jam Huschkius l. l. notavit. —

2. Virg. Aen. III. 385.

Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor.

Affert hunc versum Forbiger (de Lucretii Cari carmine etc. Lips. 1824. p. 76). At neglexit vir doctus, *Ausonii* esse nomen adjectivum, quod nominum genus geminum i in genitivo nunquam contrahit. — Idem monet Spengelius ad Varr. de L. L. p. 9.

3. Virg. Aen. IX. 151.

Tenebras et inertia furta
Palladii, caesis summae custodibus arcis
Ne timeant, nec equi caeca condemur in alvo.

Jam Freinshemius ad Curt. IV. 10. 8. censuit, Burmanno observante, hoc hemistichium ex Aen. II. 166. repetitum,

Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem.

et ab alia manu adsutum esse. — Idem etiam Jacobum Bryant animadvertisse commemorat

Heynius, optime monens, totum hunc versum remorari impetum loquentis Turni. — Freinshemii suspicionem Brunckius (praef. ad Virg. VI.) illa genitivi terminatione ab Augusti aetate aliena, confirmat. —

4. Versus Ennii, qui apud Cic. de Senectute init. legitur (cf. Ennii fragment. ed. Hesselius. p. 140):

O Tite, si quid ego adjuro curamve levasso

— — — — —

Ecquid erit pretii. —

Legendum est: *Ecquid erit praemi*, ut jam Bentleius ad Ter. Andr. II. 1. 20. monuit, cum plures codices (cf. interprr. ad h. l.) praebeant veram hanc lectionem. — Mireris igitur Spangenbergium in nova editione fragmm. Ann. Q. Ennii p. 137. merum illud docti scilicet glossatoris commentum retinuisse. Etiam Heinrichium l. l. p. 157., qui totam hanc quaestionem aurium examine dijudicandum esse existimat, video probare lectionem *pretii*, de qua cum se ad Cic. de Republ. III. 14. disputaturum esse promittat vir illustrissimus, tam diu exspectandum, et alteram lectionem *praemi*, quae codicibus nitatur, retinendam esse censeo. —

5. Hor. epist. ad Pison. 387.

si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat judicis aures,

Jam Bentleius *Maeci* restituit e cod. Regim. *Meci* praebente, quam lectionem contra Feam optime defendit Weichertus de M. Furio Bibaculo poëta §. 1. annot. 3. (Poetarum Latinorum etc. vitae et carminum reliquiae. Scr. coll. et edid. M. Augustus Weichert. Lps. 1830. p. 334.). Joa. Christ. Jahnius in edit. Hor. Lps. 1824. non recte scripsit *Meti.* —

I. b) Versus hexametri, de quibus quid statuatur, inter viros doctos nondum constat.

1. Versus Ennii, a Servio servatus (Spangenberg. l. l. p. 57. Hessel. l. l. p. 54.)

Tarquinii corpus bona femina lavat et unxit.

Hunc versum, ut supra jam dixi, Heynius primus e Servii commentario ad Virg. Aen. VI. 219. attulit, ut Bentleii decretum non omni exceptione carere ostenderet. Aliter exhibet Donatus ad Ter. Hecyr. I. 2. 60. eundem versum:

Ex in Tarquinium bona femina lavat et unxit.

Difficile est definire, utra vera sit lectio, cum plane incertum sit, quomodo hic versus cum antecedentibus cohaeserit; et auctoritas Servii et Donati par sit habenda. — Osannus (Anall. Critt. p. 173), qui lectionem, a Donato servatam, non cognosse videtur, conjicit *Tarquini*,

ut jam Fabritius, Weicherto (C. Valerii Flacci Argonaut. lib. VIII. p. 60.) monente, emendavit, trochaeum defendens frequentissima epicorum Romanorum et Graecorum consuetudine non satis accuratam numerorum habendi rationem in nominibus propriis; quam sententiam confirmare studet testimonio Servii ad Virg. Aen. I. 343. cf. Brunckius ad eund. l. p. 425. — Sed meliora, ni fallor, docet Weichertus l. l., ex cujus sententia Romani hanc numerorum licentiam sibi passim indulserunt in nominibus peregrinis; nusquam in nominibus domesticis, nisi ubi literarum natura variationem non vetabat; cf. Obbarius ad Hor. Epist. I. 10. 26. p. 49. Jahn. ad Sabin. epist. I, 67. et ad Hor. Od. III. 4. 9. — Propterea igitur Weichertus versum, quem nobis Donatus servavit, ab Ennio profectum esse existimat, alteram vero lectionem, a Servio citatam, explicationem habet librarii, memoriae lapsu ortam. — Qua in re virum doctissimum falsum esse, mox videbimus. Restat adhuc, ut commemorem conjecturam viri docti G. P. (Pinzgeri?), in ephem. liter. Jen. 1823. № 76. p. 126. propositam, qui legendum censet: *Tarcuini*; quod Spangenbergium fugisse videtur, qui in adnotatione ad h. l. p. 57. eodem modo insolitam genitivi formam removere studet. — At nemini, credo, haec plane inaudita forma probetur, Nec emendatione ulla opus est. Totum

enim Ennii locum, multo auctiorem, Merula invenit in Glossar. Fomerii Ms: *Tyrannus* *βασιλεύς*. *Ennius Annalibus*:

postumque turanni
Tarquinii corpus bona femina lavat
et unxit.

Glossar. lectionem *tostumque* Merula jam emendavit. Quae cum ita sint, simul Servii lectionem probatam et Bentleii observationem confirmatam videmus. Nam *Tarquinii* non est nomen substantivum sed adjectivum, cum verbo *turanni* conjungendum. Idem jam dudum Fr. Aug. Wolfius. V. S. suspicatus est ad Hor. Sat. I. 3. p. 11. et ut ostenderet nomina adjectiva, etiam ea, quae a nominibus propriis deriventur, semper formare genitivum per ii, attulit locum Virg. Aen. III. 316. *Clarii-Apollinis*. Hoc ultimum Weicherti causa moneo. Ceterum conferatur similis locus Virg. Aen. XII. 75. *Phrygio* mea dicta *tyranno* — refer. —

2. Lucret. VI. 743.

Remigii oblitae pennarum vela remittunt. Codicibus compluribus *Remigi oblitae* praebentibus (cf. Huschkium et Forbigerum l. l.) Wakefieldus conjicit *Remigiom oblitae* et Struvius *Remigium oblitae*. Magnam sane veritatis speciem prae se fert Wakefieldi emendatio, cum *Remigiom* per compendium scribi posset Remigiō, nihilominus tamen ea ab Huschkio

improbatur, cui Codd. scriptura, modo commemorata, vulgatam librorum lectionem *Remigii oblitae* confirmare potius, quam incertam reddere videtur. Cujus rei rationem, cum nulla hujus sententiae argumenta a viro egregio prolata sint, me quidem non perspexisse, ingenue fateor. — Nec Forbigero, solutae genitivi formae defensori, Wakefieldi emendatio placet, quippe cui verisimilius esse videatur, ultimam verbi *Remigio* literam e sequenti voce oblitae adtractam esse. Mireris sane, viros doctissimos tantum operae posuisse in sanando loco, qui nulla emendatione eget; verissima enim est Codd. lectio; sejungas modo verba, quae in Codd. conjuncta leguntur:

Remigĭ oblitae pennarum vela remittunt.

Nonnunquam enim syllaba longa, quae litera vocali terminatur, corripitur litera vocali sequente, ut Virg. Aen. V. 261.

Victor apud rapidum Simoënta sub Iliŏ alto.

Ovid. Metam. III. 501.

— dictoque vale valĕ inquit et Echo.

et ut e Lucretio etiam exemplum afferam, Lucret. V. 7.

Nam sĭ ut ipsa petit.

Copiosius de hac correptione disputant Bentl. ad Hor. Od. III. 14. 11. et Schneider. Gramm. lat. Tom. I. 1. p. 104 seq. et p. 141 seqq.,

ubi tamen fragmentum Lucilii apud Festum s. v. *Tapullam legem* omissum est:

Tapullam rident legem collegaë Opimi.

Quod ad vulgatam lectionem *Remigii* attinet, neminem fugit, hanc solutam genitivi formam a scribis profectam esse, qui terminationem aetate sua usitatam, in veterum scripta intulerint. Quod apparet cum e comicorum locis, de quibus mox disputabimus, tum praecipue e Lucretii versu (VI. 433), supra jam tractato. —

3. Lucret. V. 1004.

Improba navigii ratio tum caeca jacebat.

Bothius ad Plaut. Asinar. III. 1. 2. (v. 485 Both.), qui primus, ni fallor, hunc versum notavit, conjecit *navigiis*, cujus conjecturae explicatione aegre caremus. — Quod cum Osannus l. l. etiam animadverteret, legendum censuit *navigiûm* i. e. navigiorum, quam emendationem nescio an injuria Weichertus l. l. nominaverit difficilem, si verbum navigium per compendium scriptum esse sumamus. Removetur quidem hac emendatione genitivi inusitata terminatio, quod non improbandum est, si hic unus locus Bentleii observationi adversetur. Attamen restat, etiamsi hanc Osanni emendationem admittas, difficultas gravissima, de qua Weichertus primus optime monens „Navigii," inquit, „aperte h. l. positum est pro *navigationis* et *ratio* periphrasi inservit,

ut sit dictum pro *improba navigatio*, unde patet neutram illarum correctionum (nec Bothii, nec Osanni) posse admitti. Fateor me nihil praesentis auxilii adferre posse huic loco, qui vel ideo damnandus est, vel ita expediendus, ut statuamus, hanc genitivi formam poetas passim sibi indulsisse. — Nam in vita communi illam formam in usu fuisse, non est, quod dubitemus, quia alias vix ausi fuissent seriores scriptores novam et inauditam casus secundi flexionem introducere." Non possum, quin viro doctissimo plane assentiar, eo tantum excepto, quod in vita communi solutam genitivi formam Lucretii temporibus in usu fuisse censet. Quod sine dubio non contendisset ipse Weichertus, si ei Charisii locus notus fuisset. Illa terminatio genitivi, in ī desinens, si re vera tam nova atque inaudita fuisset, quam Weichertus censet, non esset sane, quod ei non assentirer. At haec secundi casus flexio tam nova non erat. Immo erat primitiva, quam vocant, quae in vita communi, ut fieri solet, contrahebatur. Sed de hac re supra jam disputavi. Neque opus est hac Weicherti defensione, quia hunc versum Lucretii non esse, sed interpolatoris cujusdam luce clarius ostendi potest. Jam vir doctus in ephem. Jen. l. l. monet, superfluum esse hunc versum, cum eandem sententiam, homines iis temporibus naves non habuisse, Lucretius paulo

ante v. 999 protulerit; valde abhorrere etiam hunc versum, per se jam languidum, a simplice scribendi ratione, cui Lucretius studuerit. Quae quamquam recte monita esse videntur, tamen ingenue fateor, me propter haec sola argumenta non damnaturum esse hunc versum, nisi aliud idque certissimum haberem argumentum. *Rationem navigii* enim hoc loco nihil aliud significare posse, quam *rationem navigationis* sumamus necesse est, ut sensus in hoc versu insit. Quod si ita est, extra omnem dubitationem est positum, hunc versum non esse Lucretii. — Nam hanc significationem habere verbum *navigium* cadentis demum Latinitatis temporibus, testis est Joh. Fr. Gronovius intelligentissimus judex proprietatis Latinae, qui in Observatt. in scriptor. ecclesiast. Monobibl. Daventriae 1651. 12. p. 172. dicit: „Navigium sequior Latinitas dixit pro navigatione. neminem certe, qui sic accipiat, antiquiorem novi Serbidio Scaevola, qui sic locutus est in L. CXXII. D. de V. O.“ — cf. Giphan. Observ. Ling. lat. p. 145. Oudendorp. ad Cic. de Inv. I. 1. 34. §. 358. p. 481. ed. Lindem. Duker. de Latin. Ict. p. 365. — Propterea etiam Cic. ad Herenn. IV. 44. §. 275. p. 370 edit. Lindem. lectio complurium Codd. *in navigio* pro *in navigando* improbanda est. —

4. Versus Virg. Aen. III. 702.

Hinc altas cautes projecta saxa Pachyni
Radimus, et fatis nunquam concessa moveri
Adparet Camarina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela *fluvii cognomine dicta*.
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Moenia, — — — — —

Quamvis Martinii emendatione: *a fluvio cognomine dicta*, quam Jacobus Disquisition. Virgilian. P. I. Colon. 1830. 4. p. 8. dignam habet, quae in contextum recipiatur, soluta genitivi forma facillime removeatur, tamen haec Martiniana correctio non ita comparata est, quin de veritate ipsius dubitem. Mihi enim persuadere omnino nequeo, praepositionem *a* cum longa syllaba, in $\bar{a}$ desinente, ipsa synaloephe coalescere, cum, si quis numeri metrici ratione habita, hunc versum legat, plane nesciat, utrum adsit praepositio, necne. Quae lex cum a melioribus aetatis Augusteae poëtis, quod sciam, tum a Virgilio semper observata est. Ceterum rem aliter se habere, si syllaba *correpta*, quae in $\breve{a}$ desinit, praepositionem *a* sequentem habeat, optime scio. cf. Virg. Georg. III. 302. — Quid autem? Num soluta genitivi forma, in $\bar{i}i$ desinens, Virgilio imputanda est? — Minime. Vereor enim, ne Mar-

tinius glossatorem emendaverit. Dubitationem, genitivo *fluvii* jam motam, auget varia lectio codd. Parrhas. et Hamburg.: fluvii *de* nomine dicta. — Versum, a Virgilio imperfectum relictum, explevit fortasse glossator, qui cum apud scholiastas et lexicographos Graecos de etymologia oppidi Gelae varias variorum sententias legisset, eam derivationem, quae sibi probata erat, haud indignam habuit, qua Virgilii hemistichium integrum redderet hexametrum. Etiam Servius meam sententiam firmare videtur, cum ad verba: *Immanisque Gela*, hanc addat interpretationem: Civitas, a flumine nominata, sicut campi Geloi. — Cur, quaeso, Servius lectorem idem edocere studet, quod iisdem fere verbis dictum quivis apud Virgilium legere poterat? Nonne verisimile est, grammaticum in suo Virgilii exemplo ultima versus verba: *fluvii cognomine dicta*, non invenisse? — Monendum autem est, et glossatores et lexicographos enixè inquisivisse in oppidi Gelae, parvi quidem et non ita noti, nomen. cf. Suid. Tom I p. 470. Kust. Etym. magn. p. 204. Lips. Steph. Byzant. de urb. ed. Abr. Berkelin. Lugd. Bat. 1694. p. 265 sq. Vibius Sequester de fluminibus p. 10. et annot. p. 116 seq. Oberl., qui fere omnes, pluribus variorum sententiis de hujus oppidi etymologia commemoratis, Thucydidem VI. 4. sequuntur, urbem a fluvio nomen accepisse

narrantem. cf. etiam Goeller. de situ et origine Syracus. p. 265. — Etiam poëtae Latini posterioris aevi, eruditionis speciem prae se ferre studentes, simulatque urbis Gelae mentionem fecerunt, semper addiderunt, unde haec urbs acceperit nomen suum. Sic Silius Ital. XIV. 218. Venit, ab urbe trahens nomen, Gela: — — — et Claudian. de rapt. Proserp. II. 58. — — — nomenque Gelan qui praebuit urbi, —. At inquies, haud verisimile est, in narratione continua Virgilium reliquisse versum, quem postea retractaret et absolveret. — Audio; et e pluribus locis unum afferam similem, eumque ex eodem Aeneidos libro sumptum, cujus hic versus est, de quo disputatur. — Similiter enim Virgilius hemistichio orationem continuam interrumpit Aen. III. 470.

Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces;
Remigium supplet: socios simul instruit armis.

A glossatore igitur, fortasse ex imitatione Aen. VII. 702. *Fratris Tiburti dictam cognomine gentem*, verba: *fluvii cognomine dicta* profecta ideoque uncis includenda esse arbitror. Ceterum silentio non praetereundum est, veram causam, cur Martinius emendatione hunc Aeneidos versum sanare studuerit, Philippum Wagnerum non satis perspectam habuisse. Existimat enim vir doctissimus in Jahnii ann.

philoll. 1830. II. 1. p. 81., omnem difficultatem positam esse in voce *cognomine*, quam ut defendat, affert versum Aen. VII. 702. quem modo apposui. At justi et attenti judicis partes agere debuit Wagnerus et sicut ad Virg. Georg. IV. 564. Tom. I. p. 690. ed. noviss. Heynian. Lps. 1830. pluribus argumentis allatis, quibus versus Georg. 563—566. Virgilio vindicaret, etiam contractam genitivi formam addidit, ita etiam hoc Aeneidos loco genitivum, in ii terminatum, indicium habere debebat versus non a Virgilio confecti, aut saltem vitio aliquo laborantis. — Quod cum non fecerit, non mirandum est, eum ad D'Orvillii sententiam accessisse, qui, inductus Ovidii versu Fast. IV. 470.: *Et te vorticibus non adeunde Gela*, vocem *immanis* cum verbo *fluvii* conjungendam esse censet. — Equidem in apposito explicando Jacobo plane assentior. Is enim l. l. „Id saltem," inquit, „conjicere licet, agri Geloi faciem illis, qui e longinquo adnavigabant, saxis fortasse circumjacentibus et per litus dispersis paullo horridiorem atque tetriorem visam fuisse." —

5. Versus Manilii II. 740. a Rich. Bentleio ad praef. ad Man. p. XIII. et Forbigero l. l. allatus:

Major in effectu minor est; quod partibus ipsis

Dodecatemorii quid sit, quod dicitur esse

Dodecatemorium. —

Tractandus est versus poetae, cujus de aetate utrum primis, an extremis Augusti temporibus vixerit, alii aliter sentiunt. Bentleius enim, vel potius filius fratris Bentleii, in praef. ad Manil. p. XIII. praeter alia argumenta, quibus evincere conabatur, Manilium vixisse ineunte Augusti aetate, etiam hoc attulerat, quod genitivi in ii desinentes nusquam apud Manilium invenirentur. Apponam totum locum ex ista Bentleii praefatione, cum rara sit Bentleiana Manilii editio, cujus usum debeo liberalitati Caroli Morgensternii, a consil. status, mihique praeceptoris summe venerandi. „Tum ex ipsa operis inscriptione," inquit Bentleius, „tum ex aliis locis infinitis abunde liquet auctorem hunc tempore Augusti fuisse. Unum modo aliud proferam argumentum, quod hanc nostram opinionem amplius confirmat et omnem omnino scrupulum de ea re videtur eximere, ex ejusdem Viri doctissimi notis ad Ter. Andr. II. 1. 20. ubi haec habet: (Sequitur observatio illa Bentleii, qua tota haec disquisitio de genitivo orta est.) — Cum igitur noster habeat *consilium*, *auxilium* — — nunquam vero *consilii*, *auxilii*, licet ceteris casibus obliquis saepissime utatur: omnino concludendum est, illum vixisse ante hunc inductum morem. No-

que enim credibile est, eum adeo religiose ab usu horum genitivorum, qui quidem tantas sibi attulissent commoditates, abstinere voluisse, si quidem sibi ex more sui saeculi iis uti licuisset. — Ne quid tamen dissimulemus, Noster semel quidem habet *dodecatemorii:* cum vero hoc sit verbum plane Graecum, probabile est, scriptum etiam fuisse literis Graecis *δωδεκατημορίου*; utcunque vero sit, haec unica certe exceptio ad hanc nostram rationem infirmandam haud valebit." — In contextu vero Bentleius retinuit *dodecatemorii*. Sed de hac re aliter judicat Wolfius in Analect. Tom. I. p. 61., Bentleii argumentum speciosius quam verius appellans. — Diligenti enim indagatione, a juvene quodam docto instituta, sibi persuasit vir summus, uno eoque dubio loco excepto (sine dubio idem est, de quo disputamus) nusquam legi apud Manilium solutam genitivi formam, alteram vero genitivi terminationem, in i exeuntem semel deprehendi Lib. III. 92. *sors est speranda negoti;* et, quod mirum esset, ne adjectivorum quidem genitivos, ut *dubii, medii* simm. in toto carmine inveniri. — Propterea igitur Wolfius censet, Bentleium hos genitivos, sive casu sive consilio a Manilio non usurpatos, falso habuisse argumentum temporis, quo vixerit Manilius, cum ex nihilo nihil comprobetur. — Ceterum non satis diligenter Manilium perlegisse videtur juvenis ille

doctissimus, cum praeter unum illum locum III. 92. contracta genitivi forma etiam his locis inveniatur: Lib. I. 793. et *Claudi* magna propago; *sagittari* I. 689. II. 211. 280. 560. 570; *aquari* II. 233. 464. 505. IV. 449. V. 490. — Genitivus *Juli*, qui Lib. V. 511. (ed. Scal. Lugd. Bat. 1550. 4. p. 124. 27) legitur, jam propter metrum improbandus est ejusque loco Bentleius recte reposuit *jubar*. — Quod Wolfius dicit, nusquam legi apud Manilium genitivum nominum adjectivorum, ut *medii*, *eximii* sibim., in eo falsus esse videri potest, si quis editione Scaligeriana utatur, ubi hi versus leguntur II. 905.:

Sed *medii* post astra diei curvataque primum
Culmina nutantis summo de vertice mundi
Degere Phoebus amat.

Sed *medii* — die (prisca forma pro *diei*) est Scaligeri conjectura. Codices habent: *Sed medium post astra diem*, e qua scriptura Bentleius restituit: *Sed medium post articulum*. Restat locus ubi ipsi Codices iique optimi genitivum in ii terminatum exhibent, IV. 123.:

Nunc tibi signorum mores, summumque colorem
Et *studii* varias artes ex ordine reddam.

Sic habet Cod. Paris. et Regiomonti, quam

lectionem Scaliger quoque retinuit. Bentleius vero hunc versum sic exhibet:

Et *studia et* varias artes ex ordine reddam.

nihil quidem monens, utrum conjectura sit, an lectio codicum. Confirmatur quidem haec mutatio versu 135.

Haec studia et similes dicet nascentibus *artes*

nihilominus tamen vereor, ne falsa sit Bentleii lectio. Sed de hac re infra meam sententiam proferam. —

Diu incertus eram, ut ingenue dicam, quid de Manilii versu II. 740, ubi *dodecatemorii* legitur, statuerem. Initio enim commotus auctoritate Wolfii, hunc locum dubium nominantis, genitivum *dodecatemorii* non facili quidem conjectura amovere tentabam. Emendabam enim:

Major in effectu minor est: quod partibus ipsis
Dodecatem*ori insit idem*, quod dicitur esse
Dodecatemorium.

Describit enim poëta aliud Dodecatemorii genus, quod dicitur dodecatemorium dodecatemorii. cf. Scalig. ad h. l. p. 185. — Quod Bentleius proposuit, scribendum esse *δωδεκατημορίου*, id propterea non faciendum censeo, quod nusquam apud Manilium, quod sciam,

verba Graeca Graecis scribuntur literis, sed semper proferuntur terminatione latina. — Re etiam atque etiam considerata, hunc versum nulla emendatione egere, sed aliter de eo statuendum esse existimo. — Mihi enim persuasum est, veram esse opinionem Olai Borrichii cogitatt. de aetat. ling. Lat. p. 10. et Gerh. Jo. Vossii de poett. Latt. p. 36., qui Manilium aliquot annis ante excessum Augusti carmen illud Astronomicon scripsisse existimant (cf. etiam Passow. Grundzüge der Gr. und Röm. Literaturgeschichte. Berl. 1816. p. 30), cum Varianae cladis quinquennio ante mortem Augusti illatae, poëta fecerit mentionem lib. I. 895. seqq. — Accedit, quod nuper Bernhardy verissime monuit in Adumbratione literaturae Romanae. Halis 1830. p. 224., Manilium IV. 764.

Est Rhodos hospitium recturi principis orbem,

respicere ad Augusti et Tiberii historiam. cf. etiam Schneider. Gramm. Lat. I. 2. p. 680. — Egregie confirmatur horum virorum sententia eo, quod utraque genitivi forma a Manilio usurpata est. Propterea etiam supra dixi, retinendam esse Codd. lectionem IV. 123. *Et studii varias artes*, nisi forte altera quoque Bentleiana lectio e codicibus hausta est. Nec tamen probandum est, quod Scaligerus fecit, qui lib. II. 712. in contextum contra codices

genitivum solutae terminationis (*dodecatemorii*) inferre volebat, praecipue cum codicum lectio optimum praebeat sensum, modo cum Bentleio verba recte distinguas. —

6. Versus Ennii (p. 157. Hessel.)

Brundusii sargus bonus est: hunc, magnus erit si,
Sume.

Locus hic Ennii, a Forbigero allatus, legitur apud Apulejum Apolog. Tom. II. p. 487. ed. Oudend. — Cum omnes, quos tractavimus, poëtarum loci Bentleianae observationi non modo non adversentur, sed etiam Viri summi sententiam, grammaticorum testimoniis jam probatam, magis confirment, verisimile est, ne certum dicam, hunc versum, qui solus Bentleii refragetur decreto, vitio aliquo laborare, utique removendo. — Codd. lectio est *Brundusii*, excepto Cod. *D' Orvilliano*, qui *Brundini* habet, scribae errore, ni fallor, pro *Brundisii*. — Nulli editorum soluta genitivi terminatio offensioni fuit. Turnebum quidem *Brundusiis* scripsisse monet Petr. Colvinus, quem tamen in Ennii versu ex emendatione Turnebi describendo errasse puto, cum in ea, qua utor, Turnebi adversariorum editione Basiliensi excusa anno 1581. fol., Advers. XXI. c. 21. p. 749. *Brundusii* legatur. — Nec intelligo, quid sibi velit illud *Brundusiis*. Formatur enim, quod sciam, a verbo *Brundusium* no-

men adjectivum *Brundusinus* vel *Brundusianus*, nusquam vero *Brundusius*. — Fortasse legendum est:

Brundusio sargus bonus est: — — —

simili ratione, qua in Lucilii fragmento apud Fest. s. v. *sargus* p. 481. 8. dicitur:

quem praeclarus helops, quem *Aegypto sargus* movebit.

Sic apud Plautum legitur Merc. V. 2. 99. *video ibi hospitem Zacyntho*. — ib. V. 102. — cf. Dacer. ad Fest. l. l., qui hanc loquendi rationem ex imitatione Graecorum ortam esse monet. — Aliena sunt exempla, quae a Ruddimanno Inst. Gramm. Lat. P. II. p. 274 sq. afferuntur. Nec tamen scribis tribuenda est illa mutatio ablativi in genitivum, sed ipsi Apulejo, qui cum non e vetusto aliquo Ennii Edesphagiticorum (de hac libri inscriptione cf. interpr. ad Apul. Apolog. T. II. p. 483 sq. Oud.) exemplo describeret hunc versum, sed e memoria eum laudaret (ut ipse dicit l. l. p. 484: „Paucos versus memini, eos dicam.“), sine dubio cum vulgari dicendi ratione etiam genitivi terminationem, quae tum in usu erat, Ennio intrusit. Sed non possum, quin alteram emendandi rationem commemorem, quae nescio an mea qualicunque facilior et praestantior sit. Initio enim, quomodo versus Ennii liberandus esset insolito illo genitivo, cum ipse nescirem, Jo. Val. Franckius, Vir eximia doctrina et

excellenti ingenio insignis, mihique praeceptor carissimus et amicus vere patrius, quem dira necessitas nimis mature eripuit et amicis et litteris, hanc emendandi viam ostendit. Legendum esse censet *Brundisi*, producta syllaba penultima, ita ut in Hor. Sat. I. 5. 104:

Brundisium longae finis chartaeque viaeque

et simm. verss. verbum *Brundisium* per synizesin tribus syllabis pronunciandum esse statuamus. Simili certe synizesi uti debemus, qua difficultatem expediamus in verbo Mamurius positam, quod secundum Broukhusium ad Prop. I. — — — saepius apud Ovidium (Fast. III. 383. 389. 392.) secunda syllaba correpta legitur, cum e vocativo *Mamuri* apud Prop. IV. (V.) 2. 61. appareat, longam esse verbi *Mamurius* antepenultimam. Etiam Graecis est *Μαμούριος*. — Quod ad v. *Brundisium* attinet, Graeca etiam forma *Βρεντήσιον* sive *Βρενδήσιον*, de qua conferatur Schneiderus ad Varr. I. 8. p. 276. confirmare videtur syllabae antepenultimae productionem. — *Brentesium* legitur Digest. lib. 45. tit. 1. 69. 22. (Torrentin), ut Forcellini monet in lex. Lat. s. v. *Brundusium*.

II. Versus poëtarum scaenicorum.

1. Plaut. Asinar. III. 1. 2. (Bothe v. 483)

Án ita tu es animáta, ut qui expers mátris imperií sies.

Sic in omnibus editionibus olim vulgabatur hic versus. Non opus est emendatione Jo. Brantii, *imperiis* conjicientis, quam Bothius recepit, modo cum Osanno in Anal. crit. p. 173. restituas: *imperi sies.*

2. Plaut. Mil. III. 2. 51. (Bothe v. 856)

Quaesó tamen tu meám partem infortúnii,
Si dívidetur, me ábsente accipitó tamen.

Sic omnes editt. ante Bothium, qui, in animadversionibus de hoc loco nihil quidem monens, reposuit:

Quaesó tamen tu pártem infortuní meam.

Quae correctio, Osanno l. l. monente, Reizio debetur. — Restituitur fortasse vera lectio faciliore medela, quam illa verborum transpositione, de qua Osannus etiam dubitare videtur, dicens: „sed certa haec transpositio non est: corruptam autem esse vulgatam, patet, quum praeter hunc locum nullus in Plauto reperiatur adversarius, qui non facile emendari possit." Quid igitur, si legamus:

Quaesó tamen, tu meám partem, *infortúnium*
Si divídetur, me ábsente accipitó tamen

Vulgata lectio *infortunii* e scripturae compendio *infortunī*, in Codd. solemni, orta est. —

3. Merc. prol. 10.

> Graece haec vocatur Emporus Philemonis
> Eadem Latine Mercator Marci Attii.

Codd. habent *mattici* (cf. Muret. Varr. Lectt. 18. 9.) et antiquissimarum editionum scriptura est *martici*, testante Bothio. — Quapropter Muretus legendum censuit: *Marci Atti* quod senario non convenit. Bothius, codicum vestigia sequens, conjecit: *M. Attici* i. e. *Marci Attici*, cognomen explicans de Plauti studio atticissandi (cf. Men. prol. 12.). — At vehementer vereor, ne nemini Bothius hanc suam conjecturam probaverit; Osanno certe l. l. p. 175. non probavit. — Non possum autem, quin plane assentiar viro doctissimo l. l. p. 172, totum versum ab aliena manu adsutum esse suspicanti, quippe quo omnis versuum contextus valde interrumpatur. — Nec mirandum est, idem in prologo factum esse, quod in postremo hujus fabulae actu, qui glossatorum interpretationibus et commentis scatet, jam pridem viri docti reprehenderint. — Spengelius quidem ad Varr. de ling. Lat. p. 11. hunc versum Plautinum habet, quod non mirum est, cum solutam genitivi formam juxta alteram contractam rarius quidem, sed tamen nonnunquam usurpatam esse arbitretur. — His ab Osanno l. l. tractatis versibus addas:

4. Mil. Glor. II. 4. 11. (Bothe v. 364.)

Ubi istíc bonus servus, quí *propudii* me máxume innocéntem
Falso ínsimulávit

Sic codd. contra metrum. Bothius transposuit: *servus, própudi me qui máxume innocéntem*, et Lindemannus (Plauti comoed. tres. Lips. 1823.): *servus, própudi qui me máxume innocéntem*. — Mihi quidem transpositione verborum non opus esse videtur, modo scribatur *propudi* pro *propudii*

Ubi istíc bonus servus, quī prŏpŭdi me máxume innocéntem
Falso ínsimulávit.

Apud Terentium duo tantum reperti sunt loci, ubi soluta genitivi terminatio olim legebatur, quos locos e codicibus, meliorem lectionem praebentibus, Bentleius jam emendavit.

5. Ter. Andr. II. 1. 20.

Néque pol consilií locum habeo, néque auxilii cópiam.

Bentleius versum e duobus codicibus et ex Eugraphio sic correxit:

Néque pol consilí locum habeo, néque ad auxilium copiam.

6. Ter. Andr. III. 2. 38.

Íd consilii cápere, cur non díxti extemplo Pámphilo?

Omnes Bentleii codices praeter unum praebent:

Id consilium, quod in contextum recipiendum est. —

7. Versus Naevii in Acontizomeno a Charisio Inst. Gr. II. p. 185. Putsch. s. v. *noctu diuque* commemoratus:

Sulpitii noctu interfecit.

Bothius Poet. Lat. Scaen. fragm. Halberst. 1823. Vol. V. P. II. p. 10. haec habet: „*Sulpitii.* An *filium Sulpitii*, vel servum? (vid. Sanctii Min. 2, 3.) an potius scribendum est *Sulpitium?* Ἐπέχω.“ — *Sulpitii* vera lectio videtur, cum haud verisimile sit, grammaticum mutasse accusativum, qui bonum praebeat sensum, in genitivum, qui difficilior sit intellectu, nisi *Sulpitii* fuisset lectio ab ipso Naevio profecta. Num filius intelligendus sit an servus (alterutrum verbum fortasse in versu antecedente positum erat), certo quidem dijudicari non potest, quamquam prius verisimilius duco, commotus alio hujus comoediae fragmento apud Charis. Inst. Gr. II. p. 179. Putsch. s. v. *falso*

Hujus aútem gnatus dícitur geminum álterum
Falso óccidisse.

Scribatur igitur:

Súlpiti noctu ínterfecit.

Versus est trochaicus, quod metrorum genus optime convenit vividae et agitatae narrationi de morte filii Sulpitii. —

8. Fragmentum versus Naevii in Hesiona, servatum a Varrone VII. 6. p. 385. Speng.:

„Multa apud poëtas reliqua esse verba, quorum origines possint dici, non dubito, ut apud Naevium in Esiona

enimvero gladii lingula.

a lingua." — Sciopp. omisit *enimvero*, codex Havn. *vero*. — Nihil profecto haberemus, quo dijudicaremus, quid de hoc Naeviani fragmento statuendum esset, nisi hic versus integer apud Gellium legeretur. — Is enim Noctt. Att. X. 25. Tom. II. p. 56. Conr. haec habet: „De lingula, quoniam est minus frequens, admonendum existimo, lingulam veteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguae factum, cujus meminit Naevius in tragoedia Hesiona. Versum Naevii apposui:

„Sine mihi gerere morem videar lingua, verum lingula." —

Emendatricem manum Stephani expertus est hic versus. Correxit enim ille: „Sine mihi gerere morem! *utar haud lingua*, verum lingula." Quam conjecturam jure repudiavit Gronovius, „Vocula *haud*," inquiens, „est solius Stephani, in nullis Mstis, nullis ante eum editis reperienda, ut hinc debuerit deterreri ab ista conjectura *utar haud lingua*. — In cod. Reg. est *videtur*. Quodcunque eligas, videtur nihil mutandum, utpote quum potue-

rint verba hujus versiculi in plures personas fuisse divisa, ut alter dixerit *sine mihi gerere morem*; alter *videtur lingua*, nempe tibi morem geras; cui subjicit rursum prior forsan sciscitans *verum lingula?* nempe an licebit mihi morem gerere.“ — — Tractavit etiam Bothius in fragm. poet. scen. Rom. p. 85. hunc versum, quem cum comoedia digniorem censeret, quam tragoedia, nec mihi, nec aliis, spero, suam emendationem persuasit. „Fortasse,“ inquit, „verbis *Lingua*, *ver. ling.* respondetur ad praegressa, estque haec *ἀποσιώπησις* de lingua quidem concedentis, sed abominantis lingulam, h. e. Gellio interprete (cf. Varro de L. L. 6. p. 101.), gladiolum oblongum in speciem linguae factum (nam sic veteres loquebantur): ut ita scribatur:

α. Sine! mihi gere
Morem β. Videtur lingua, verum lingula . . .!

h. e. Videtur mihi morem tibi gerere lingua, sed non lingula; Bonum consilium tibi dabo, sed neque pugionem tibi praebebo, neque ipse te interficiam, quod cupis. Etiam hoc comoedia dignius, quam tragoedia.“ —

Equidem, cum, metro neglecto inductus, vitium in Naevii verbis inesse suspicarer, aliter versum conjectura, non multum a codicum scriptura recedente, restituere tentabam. Emendabam enim:

Æsi . nê mihi
gérere morem tú videare língua, verum língula.

Alloquitur Hesione Herculem, qui puellae, vinculis rupi alligatae, se liberatorem praebiturum promisit. — Literam *E*, quam ante *si* addidi, consilio omissam esse a librario censebam, quippe quae coloribus postea depingeretur (cf. Bastii comm. palaeogr. p. 861.); inde errorem ortum esse. — Eidem librariorum consuetudini originem debere videtur ille *Ummidius* apud Horatium Sat. I. 1. 95., quod nomen recte mutaverunt recentiores editores in *Nummidium* cf. Jahn. ad h. l. p. 242. — Scripturae cod. Reg. ratione habita facilius fortasse scribi potuerit:

Æsi . né mihi
gérere morem jám videatur língua,
verum língula. —

Nunc vero fere inducor, ut Franckio meo assentiar, cui cum hanc conjecturam proponerem, nulla emendatione opus esse visum est. Sic enim distinguendum esse censuit:

Si, né mihi gerere mórem videar
língua, verum língula,

— — — — —

Ab Hercule haec dicta sunt; *mihi* non conjungendum est cum verbis *gerere morem*, sed cum voce *videar*. Sententia est manca, cum verba, e conjunctione *si* pendentia, et in se-

quenti versu posita, desint. — Utramcunque igitur, Franckii vel meam, versus restituendi rationem probas, id tamen concedas necesse est, in hujus versus fragmento, a Varrone servato, vocem *gladii* glossema esse, quo explicetur rarius vocabulum *lingula.* —

Omnes, quod sciam, tractavi versus, qui Bentleiano decreto aut adversantur aut adversari videntur. Quibus diligenter examinatis tantum me effecisse spero, ut ea, quae, solis Lucilii et grammaticorum veterum testimoniis adhibitis, de genitivo in ī desinente statuerim, egregie poëtarum usu confirmari non temere dixisse videar. Jam progredi licet ad virorum doctorum, quibus Bentleianum praeceptum non probatum est, sententias examinandas. Quod eo facilius expedire possum, quo copiosius omnia fere, quae huc spectant, jam supra tractata sunt. Praeter Struvium et Weichertum, quorum dubitationes supra p. 39. commemoravi, exstiterunt Huschkius Analectt. Liter. p. 50 seqq., Forbigerus in libello de Lucretii carmine p. 75 seqq. et ad Lucret. V. 1004. p. 445., cui Spengelius ad Varr. p. 9. assentiri profitetur, Jahnius ad Ovid. Metam. XV. 727. et Heinrichius ad Cic. de re publ. p. 155 seqq. — Cum vero Huschkii dubitatio, mota nonnullis poëtarum locis, in quibus soluta genitivi terminatio invenitur, praecipue Lucilii versibus nitatur, ad ea lectorem ablego,

quae de his versibus supra protuli. — Forbigeri verba haec sunt: „Errat enim vir doctus (Orellii censor Jenensis cf. p. 36.) quum opinatur, aliis quibusdam locis recte a viris doctis emendatis aut rejectis, hunc solum Lucretii locum (V. 1004) superesse, in quo regula illa vere negligatur. Ut enim non commemorem alium Lucretii locum VI. 744., restant etiam Ennii versus ab Apulejo I. p. 43. Bip. servatus, p. 157. Hessel. *(Brundusii)*, Virg. Aen. III. 385. *(Ausonii)* Manil. II. 740. *(Dodecatemorii)* et alii fortasse, qui regulae illi non minus adversantur. Accedit ipse seriorum scriptorum ex aevo Augusteo usus. Vix enim intelligitur, quomodo hi scriptores, Propertius imprimis, qui minime novatorem se exhibuit, in illam licentiam incidissent, si ne unus quidem veterum auctorum illa soluta genitivi forma uti sibi indulsisset. Quare consultius videtur sumere, hanc solutam 2. casus formam, fortasse ob ipsam illam causam, quam Nigidius Figulus apud Gellium XIII, 25. quodam modo innuit, scilicet ut secundus et quintus casus melius discernantur, Ennii jam temporibus in vitae communis usum introductam esse, ita ut scriptores quidem, cultioris orationis studiosi, veterem formam plerumque retinerent, interdum tamen etiam ad populi consuetudinem deflecterent; serius autem, quum usus ille magis magisque communis factus

esset, scriptores quoque, singulis illis antiquiorum auctorum exemplis fretos, recentiorem genitivi formam saepius adhibuisse." — — Haec Forbigerus, Spohnium, praeceptorem suum, secutus, ut monuit Spengelius l. l. p. 9. — Omnes, ni fallor, libenter assentientur Forbigero in eo, quod Propertium minime novatorem se exhibuisse censet. — At etiam in hac re grammatica non talem se praebuit Propertius. Auctorem enim habuit poeta antiquissimum, quem secutus soluta secundi casus forma utebatur. — Lucilium dico. — Quod Forbigerus existimat, jam Ennii temporibus solutam genitivi terminationem in vita communi usurpatam esse, id, ni fallor, ex Ennii fragmentis tantum colligit, de quibus p. 34 et p. 51. disputavi, iisque Bentleii decretum minime irritum reddi probare studui. Quod utrum bene mihi cesserit, nec ne, non meum est dijudicare. — Quod denique gravissimum est, omnium linguarum analogia Forbigeri sententiae refragatur. Contractae enim verborum terminationes et breviores vocum formae semper fere ortae sunt e vitae communis usu eoque loquentium studio, quo ultimae syllabae in quibusdam vocibus non modo celeriter pronuntiantur aut contrahuntur, sed etiam devorantur et plane omittuntur. Longiores vero vocum formae et solutae terminationes, quae aut propter analogiam similium vocum aut per-

spicuitatis causa, quam Forbigerus ipse solutae genitivi terminationis causam habet, in linguam aliquam introductae sunt, tantum abest ut vitae communi debeantur, ut a scriptoribus inventae et usurpatae sint, qui his similibusque remediis perspicuitati, in vita communi ipsa viva voce effectae, consulere studuerint. — Si vero duarum vocis terminationum altera contracta et brevior jam ante literarum usum in ore populi ita obtinuit, ut soluta et longior terminatio ex usu vitae communis plane evanesceret, non potuit fieri, quin scriptores contractam illam terminationem, quae sola in usu esset, etiam in scriptis retinerent, donec accuratiore linguae studio, quod apud unumquemque populum posterioribus tantum temporibus oriri notum est, cum multa et varia literarum monumenta jam exstant, altera longior vocis forma, ratione plus, quam consuetudine probata, introduceretur. E cultiore enim oratione, quae non minus in his minutiis, quam in verborum delectu, orationis compositione et colore observatur, multa progressu temporis in vulgarem loquendi rationem transire solent. — Non opus esse videtur singula singulis probare exemplis. Ipsa enim rei natura omnesque vivae linguae veritatem nostrae sententiae testantur.

Transeo ad Jahnii sententiam examinandam. Commemoratis iis locis, in quibus de

hac genitivi terminatione disputatur, sic pergit vir doctissimus. „Nescio tamen," inquit, „an non multum a vero aberret, qui statuat, hos genitivos semper in ii flexos fuisse, sed hoc duplex i, cum prius quam celerrime pronuntiaretur, ita coaluisse, ut fere unam tantum syllabam audires. Hoc enim suadet codicum (quos hac in re non magni aestimandos esse perperam censet V. D. in Ephem. Jen. l. c.) et monumentorum antiquissimorum auctoritas. V. Schneider l. c. Sic in Monum. Herculanensi (Morgenblatt. 1819 Kunstbl. 4.) *Bisellii honor*. Hinc etiam facile explicatur, qui factum sit, ut Nigid. Figul. ap. Gellium XIII. 25 et Serv. ad Virg. Aen. I. 451. monerent, genitivum *Valeri* ictum habere in penultima, a quibus Priscian. p. 739. P. in eo tantum discedit, quod etiam Vocativum *Valèri* ictum in penultima habuisse censet. Quis autem ap. Cicer. Cat. Maj. 14, 10 (?) scribat *studi* pro *studii?* Poëtae sane hoc duplex i propter brevem prioris pronuntiationem plerumque in unam syllabam per synizesin, ut bene statuit Nicolaus Nicolai in Burm. Sylleg. Epp. T. II. p. 213., contraxerunt, neque tamen utrumque solvere plane spreverunt. v. Lucret. V, 1004; VI, 743. quae loca frustra tentarunt Viri Docti." — Qualis sit in his rebus codicum auctoritas jam supra p. 7. expositum est. — Aliquanto majoris momenti

esse auctoritatem, quae antiquissimis nitatur monumentis, non infitior. — Tantam vero eam non esse, qua totum Bentleii decretum evertatur, ex iis patet, quae Schneiderus Gr. lat. II. 1. p. 60, ab ipso Jahnio citatus, vere monet, in monumentis antiquissimis saepe inveniri duplicem literam ii positam pro simplici i eo tantum consilio, ut longa syllaba designaretur (cf. Quintil. I. 4. 10. *Veteres geminatione vocalium velut apice utebantur.* — Inde etiam explicanda est plusquamperfecti forma, Tullio saltem inaudita, *audiisset* pro *audisset*, cf. Goer. ad Cic. Acad. I. 1. 1.); contra aliis in locis per compendium scriptam esse I modo pro duplici ii, ut *regI* pro *regii* simm., modo pro longa vocali i. — Accuratius de hoc scribendi genere disputat Schneiderus Gram. lat. I. 1. p. 96 sq. — Quae cum ita sint, neminem fugit, quam anceps sit, etiam ex antiquissimorum monumentorum scriptura aliquid certi constituere de vera genitivi terminatione. Accedit, quod neque in nummis, neque in inscriptionibus, ante Augusti tempora factis, inventus est genitivus in ii terminatus. — Genitivus enim *Bisellii*, quem Jahnius e Monum. Herculanensi commemorat, nullam habet probandi vim, cum tempus, quo illa inscriptio facta sit, non accurate definitum esse videatur. Equidem de hac re decernere nequeo, cum mihi liber, ad quem

ablegat Jahnius, Morgenblatt. 1819. Kunstbl. 4., non ad manum sit. Addam tamen ipse genitivum in ii desinentem: *C. Pomponii* e tessera hospitali, in Africa reperta a Francogallis in expeditione Algieriana anno 1830, quae typis excusa est in Seebodii et Jahnii novis annalibus philolog. et paedagog. Lips. 1831. I. 2. p. 227. Annus vero, quo haec tessera data est, hucusque est incertus. Sed missis his cum e codicibus tum e monumentis repetitis auctoritatibus, ipsa Jahnii sententia, „hos genitivos semper in ii flexos fuisse, sed hoc duplex i, cum prius quam celerrime pronuntiaretur, ita coaluisse, ut fere unam tantum syllabam audires," haec sententia, inquam, per se spectata, non multum habet, quo commendetur, nec diversa grammaticorum sententia de accentu, in vocativo ponendo, confirmatur, quod equidem intelligam. Si enim duae literae vocales diversi soni se excipiunt, atque unam efficiunt syllabam, coalescunt aut in longam vocalem (*siemus* in *simus*), aut in diphthongum (*aureis* in *aureis*, Virg. Aen. VIII, 553.), aut in sonum per synaeresin mixtum (*semine oriundi* Lucr. II. 990); sin vero literam vocalem eadem vocalis litera sequitur, aut unaquaeque per se pronuntianda est, aut ambae literae vocales in unam eandemque longam contrahuntur (*obiit* in *obit*; *gratiis* in *gratis*) cf. Schneid. Gr. Lat. I. 1. p. 89 seqq. et p. 116 seqq. —

Quod ad accentum vocativi et genitivi attinet, initio monendum est, Prisciani praeceptum cum Servii verbis plane congruere, a Prisciano vero et Servio Nigidium differre. Acuebatur enim, ut Nigidius Figulus refert, in vocativo *Valeri* syllaba antepenultima, in genitivo vero penultima. — Priscianus autem (VII. 5. 18. Tom. I. p. 303 sq. Krehl.) haec praecipit: „Juniores autem gaudentes brevitate per abscisionem extremae protulerunt pro *Virgilie Virgili*, et pro *Mercurie Mercuri*. Horatius in primo Carminum: *Mercuri facunde nepos Atlantis*. In eodem: *multis ille bonis flebilis occidit, nulli flebilior, quam tibi, Virgili.* Unde accentus perfecti vocativi in his servatur. Si enim non esset abscisio, debuerunt hujuscemodi vocativi, id est, qui in I desinentes penultimam correptam habent, antepenultimam acuere, ut *Virgili, Mércuri*, quod minime licet: nam penultimam acuimus. In abscisionibus enim, si ea vocalis, in qua est accentus, integra manet, servat etiam accentum integrum, ut *audivit audìt, nostràtis nostràs, illicce illìc*." — Eandem sententiam profert Servius ad Virg. Aen. I. 451.: „Sane plerumque accentum suum retinet sermo corruptus, ut *Mercúri, Domíti, Ovídi:* tertia a fine debuit habere accentum, quia penultima brevis est, sed constat haec nomina apocopen pertulisse: nam apud majores erat idem voca-

tivus qui et nominativus, ut *hic Mercurius*, *o Mercurius*, unde cu licet brevis sit, etiam post apocopen, suum servat accentum.“ — Haec omnia ad solius vocativi accentum spectare cumque tempore Nigidii Figuli et Prisciani Serviique diversam fuisse vides. Quam quidem accentus diversitatem unquam apud Romanos exstitisse, nuper negavit Ritterus Element. Gramm. Lat. libri duo. p. 57 seqq. cum a Nigidio commemoratam accentus in vocativo ponendi rationem analogiae repugnare censeret. — „Ut enim,“ inquit p. 58., „ex *Valérii* nascitur *Valéri*, sic ex *Valérie Valéri*, ex *Tibérie Tibéri*, ex *fílie fili**).“ — Optima sane haec analogia esset, si Ritterus testimoniis comprobasset, nominum propriorum, in ius terminatorum, vocativum a priscis Romanis per ie formatum atque revera usurpatum esse. — Id est, quod nego. Haud nescius quidem sum, a Prisciano VII. p. 739. Putsch. (I. p. 303. Krehl) afferri duos locos Livii Andronici**), in quibus talem vocativum invenisse sibi videtur grammaticus, quem er-

---

*) Consulto omisi, quod vir doctissimus addit: „ex *míe mi*,“ cum inaudita sit nominativi forma *mius*. — Vocativus *mi*, ut hoc obiter moneam, ortus est e dativo *mihi*, ut e *nihil* nascitur *nil* cf. Aristophan. Pac. 76. ὦ Πηγάσιόν μοι. —

**) cf. tamen Hermanni doctr. metr. p. 610.

rasse extra omnem dubitationem posuit Schneiderus Gram. Lat. II. 1., p. 65. not. — A Schneidero in eo dissentio, quod vocativo *filie*, quem ex Odyssea Livii Andronici affert Priscianus VII. p. 741. Putsch. (I. p. 306. Krehl.) inauditas vocativi terminationes, ut *Mercurie*, *Virgilie*, quas nisi me omnia fallunt, Prisciani sagacitati debemus, confirmari censet. Nihil aliud vocativo *filie* comprobari potest, quam Romanos literas vocales ie non in ē, sed in ī contraxisse; eandem contractionem quamvis nomina appellativa omnino ea careant, inveniri in vocativo *fili* *). — Inde tum demum effici poterit, vocativum nominum propriorum, in ī desinentem, contractum esse ex ie, quum solutam illam vocativi terminationem etiam in nominibus propriis a Romanis usurpatam esse exemplis demonstraverint grammatici. — Ritterus, aliam rationem tentavit, qua vocativum *Mercuri* ex altera prisca scilicet vocativi forma, quam in dubium non vocavit, contractam esse ostenderet. „Extremum ē in *Virgili* et *Tiberi*," inquit l. l. p. 59. not. 26., non abscisum est (tum enim ultima syllaba li et ri brevis esset), sed cum vocali ī concrevit, quae inde longa facta est. — Quae verba ut recte intelligan-

*) Ceterum de simili vocativo nominum appellativorum cf. Schneid. l. l. p. 64. —

tur, decretum commemorem necesse est, quod Ritterus l. l. p. 111. his verbis proposuit: „Ubicunque in nominum aut verborum finibus longa vocalis reperitur, eam contractione ortam esse pronunciare non dubito.“ — Equidem valde dubito, ut ingenue dicam. Cum vero non hujus loci sit totum Ritteri decretum ea, qua par est, diligentia examinare, ea tantum proferam, quibus commotus vocativum *Mercuri* simm. contractione ortum esse nego. Recenseamus igitur omnes et nominum et verborum terminationes, quae in ī exeunt. Libenter assentior viro doctissimo, formam genitivi singularis *populi* contractam esse ex *populuï* seu *populoï*, et formam nominativi pluralis *populi* ex *populoë* s. *populoï*; de reliquis vero terminationibus in ī exeuntibus, de dativo sing. tertiae declinationis, de genitivo et dativo sing. quartae declinationis, de secunda persona sing. perfecti *), ipse Ritte-

---

*) Imperativum quartae conjugationis *audi*, quem ex *audie* contractum ex se existimat Ritterus l. l. p. 115. omisi, cum persuasum habeam, imperativum act. omnium conjugationum esse ipsum verbi corpus, nullis additamentis mutatum, sicuti nuper vir doctissimus in Ephem. liter. Jen. 1831. No. 193. p. 100. verissime monuit, vocativum aut nominis corpus esse aut ex ipso nominis corpore ortum esse, nec derivandum esse e nominativo, ut Hartungus in libro, qui inscribitur: Ueber die Casus, ihre Bildung und Bedeu-

rus l. l. p. 112. seq. et p. 114. seq. fatetur, longum ī non contractione ortum esse, atque ita concedit, decretum suum, cujus modo mentionem fecimus, non ex omni parte verum esse. Profert quidem Ritterus l. l. p. 112. duas conjecturas, quibus demonstrare studet, qui factum sit, ut ī finale in his terminationibus, natura quidem breve, produceretur; sed haud scio an nemini eas probaturus sit*). Ne longus sim, meam qualemcunque sententiam de his terminationibus paucis proferam. — Ut ex indole linguae Latinae quaevis syllaba (etiam ea, cujus litera vocalis natura longa est) eo corripitur, quod in literas t̄, m̄, x̄ terminatur (cf. Ritter. l. l. p. 21. sq.), ita ex eadem linguae Latinae indole, philosophicis, ut ita dicam, argumentis neutiquam explicanda, quaevis syllaba**) pro-

---

tung in der Gr. und Lat. Sprache. Erlang. 1831. p. 160 censeat.

*) Diversa quantitas vocabulorum ē et ĕx (ἐξ) nullam probandi vim habet. cf. Ritteri l. l. p. 21. seq.

**) Haud nescius sum, quantitatem literae finalis ī in paucis verbis ancipitem inveniri cf. Grotef. Gr. lat. Tom. II. p. 23., quod quidem nostrae observationi haud adversatur, cum talis correptio, si semel aut iterum apud poëtas reperiatur, eodem modo excusanda sit, quo Ritterus accentum in tertia syllaba a fine positum, quamvis ultima longa sit, recte explicavit l. l. p. 35.; in Graecis vero vocabulis Graeco-

ducitur, quae in ī terminatur, etiam tum, quum litera vocalis ĭ natura brevis est, quod e vocibus *utĭnam*, *utĭque* et *utī*, *audivistĭs* et *audivistī*, patris et patri apparet. Hanc ob causam etiam vocabuli *Mercurĭus* vocativus *Mercurī* longam habet ultimam syllabam, cujus productio nullo modo contractione oriri potuit, cum vocativi forma *Mércuriè* a solo Prisciano excogitata sit, ut supra demonstravi. Quae si recte disputata sunt, apparet, Ritterum eo errasse, quod vocativi accentum in syllaba tertia a fine positum, analogiae repugnare existimet. Cum enim ipse l. l. p. 35 recte doceat, „Romanos in ejusmodi vocabulis, qualia sint *dómini*, *dóminis*, ultimae syllabae nonnisi brevis dignitatem in quotidiano sermone concessisse," quid, quaeso, impedit, quominus Nigidio auctore Romanos vocativum *Mércuri* pronunciasse censeamus. At ipsum Nigidii testimonium Ritterus l. l. p. 58 suspectum reddere studet. Nigidii verba, inquit, ita comparata sunt, ut appareat, illum non tradere, quod a Romanis sui temporis fieri soleret, sed reprehendi ab eo et imperiose

---

rum etiam quantitatem retinuerunt Romani. Semel apud Ausonium ex indole linguae Latinae in vocativo *Cypri* ī finale productum inveniri Grotefendus l. l. commemorat.

corrigi aequales, qui in casu vocandi *Valéri* recte pronunciabant." — Valde doleo, Ritterum non alio argumento suam sententiam confirmasse. Verba Nigidii enim (cf. p. 7.) si quis, praejudicata opinione non ductus, perlegerit, non negabit, spero, grammaticum mentionem fecisse pronunciationis, qualis fuerit suo tempore, minime vero qualis esse debuerit. Quod si non ita fuisset, indicativo temporis praesentis („est," „dejicitur," „descendunt") nullo modo uti potuisset Nigidius. Non est igitur, cur Nigidio, vocativum *Mércuri* suo tempore pronunciatum esse commemoranti, diffidamus. Immo confirmatam videbis hanc accentus ponendi rationem, si Graecam linguam comparaveris, ubi vocativus vocabulorum *πατήρ*, *ἀνήρ*, *δαήρ*, *Ἀπόλλων* (ωνος), *Ποσειδῶν* (ῶνος), *σωτήρ* (ῆρος) *Ἡρακλῆς* accentum retrahit cf. Buttmann Gr. Gr. max. Tom I. p. 179. **). Mutatum vocativi accentum (*Mércuri*) jam Gellii temporibus i. e. ducentis fere annis post Nigidium Figulum in usu fuisse, ipse Gellius testatur Noctt. Att. XIII. 25. Tom. II. p. 190. Conr. — Causam vero hujus accentus mutati si quaeras, certo quidem ea indicari nequit, sed suspicor, accentus mutationem pendere e nova prosodia, quae Graecorum severitatem imitata, ut God. Hermannus El. metr. p. 61. monet, temporibus post interitum reipublicae in usu

venerat, cum altera prior prosodia maximam partem pependisset e solo accentu. —

Eorum, qui Bentleiano decreto exstiterunt adversarii, unus restat, quem commemorem, isque gravissimus harum rerum arbiter, Car. Fr. Heinrichius, cujus sententiam sub ipsum finem nostrae disquisitionis propterea in disceptationem vocavi, quod ea aptam nobis praebet occasionem perscrutandi, utrum in Ciceronis operibus contractam genitivi formam recentiores editores recte restituerint, nec ne. — Postquam vir illustrissimus monuit Salmasium jam ante Bentleium fecisse hanc observationem de genitivo in ī terminato, atque commemoravit insigniores quosdam philologos, qui de contracta genitivi forma scripserint, sic pergit: „Ceterum in contextu, quoniam usus in ipso Codice variat, et paene totidem locis *Capitolii*, *Papirii* legitur quot *Enni* *), *Pompili*, etc., cumque insolentia in hoc genere non sine molestia interpellet accurate legentem et cogitantem, eo minus dubitavi insolita ad consuetudinem haud improbabilem revocare, quia jam dudum vereor, ne ipsa Ciceronis aetate non solum *Tulli*, *imperi*, sed etiam *Tullii*, *imperii*, certis locis dici scribique consueverit aeque, ac licuit *tris* et

---

*) *Ennei* hoc sonasse, nec scribendum esse *EnnI* vel Ennî, recte monet Heinrichius l. l. p. 155.

tres, *partis* et *partes* quarto casu juxta dicere: qua in re unus omnium copiosissimus est Malaspina in Epist. ad Famil. IV, 3. Ad aures examen hujus rei persubtiliter refert Valerius Probus apud Gellium XIII, 20. Ac fateor, mihi videri eodem examine ponderandum esse, quid in illis quoque formis cujusque loci rationi conveniat; plane ut in versu Sermonis Horatii I. 4, 70. formam *Caprii*, cujus probatae postea Bentleium poenituit, solam isto in loco probam et ipsius poëtae esse puto, atque Ennio apud Cic. de Senectute, contra ejusdem Bentleii decretum, rursus vindico *pretii*." — Vides totum hoc judicium non tam argumentis, e testimoniis scriptorum petitis, confirmatum, quam in animo viri illustrissimi positum esse. — Haud infitior quidem posterioribus temporibus, quibus utraque genitivi terminatio a plurimis poëtis promiscue usurpabatur; rem ita se habuisse, ut Heinrichius censet. — Quod quidem ante Propertium et Ovidium certo non factum est. — Utram vero terminationem poëtae elegerint, cum ex aurium judicio, tum ex versuum ratione pependisse verisimile est. — Quae nostra sit de Cicerone sententia, mox indicabo. — Ceterum ex illo testimonio Valerii Probi apud Gellium, ad quod Heinrichius provocat, non multum efficitur ad viri illustrissimi sententiam confirmandam. Quinimo ex eo quod Probus de utraque genitivi forma

plane silet, Bentleiano decreto haud parva confirmatio accedit. Narrat enim Valerius Probus l. l., se in primo Georgicorum libro, ab ipsius poëtae manu correcto, accusativum pluralem tertiae declinationis in es et in is terminatum invenisse, monetque, id non temere a Virgilio factum esse, sed ex aurium judicio. Quam sententiam ut probabilem reddat, affert e Cicerone et Lucretio plura exempla eaque non satis idonea nec similia. Non omisisset profecto laudare, magis conveniens et gravius exemplum, e duplici genitivi terminatione ductum, si apud Virgilium vel apud alium ejusdem temporis scriptorem duplicem genitivi formam promiscue usurpatam invenisset, aut terminationis diversitatem ex aurium judicio dijudicandam censuisset. —

Ex iis, quae disputavimus, apparet, etiam in operibus scriptorum solutae orationis, ut Bentleius l. l. jam monuit, contractam genitivi formam restituendam esse. — Nec procul a vero aberrare puto, qui, Plinii verbis apud Charisium p. 60. Putsch. commoti, a solutae orationis scriptoribus quoque post senescentis Augusti tempora concretam genitivi terminationem usurpatam esse censeant. — Apud Ciceronem contractam formam primus quod sciam Wolfius restituit in egregia Tusculanorum disputa-

tionum editione. — Eum Beierus*) (praef. ad. Cic. de. off. p. IX.) et Wunderus (praef. ad. Cic. orat. pro. Planc. p. XIII.) secuti sunt. — Plurimi vero Tullianorum operum editores, ut Gerhardus, Goerenzius, Heinrichius, Matthiaeus, Moserus, Orellius, alteram genitivi formam retinere maluerunt. Utra genitivi forma Cicero usus sit, non certis quidem argumentis demonstrari, sed e probabilitate tantum conjici potest. — Nec codicum, etiam vetustissimorum, scriptura, nec aurium judicio, re tam ambigua et sibi non constanti, hanc quaestionem judicari posse, supra jam vidimus. Aliam igitur viam et rationem nuper tentavit Spengelius ad Varr. p. 11. — „Ad Ciceronem quod attinet," inquit, „ei scriptura simplici ī ubique neque restituenda neque expellenda; in posterioribus libris Varronis praeceptum secutus videtur in hac re (cf. Charis. p. 60. Putsch.) ut in alia, cujus mentio apud Charis. p. 114. Putsch. Poëmatorum in secundo, et in tertio idem Varro assidue dicit his Poëmatis; tanquam nominativo hoc Poëmatum sit, non Poëma. — Nam et ad Ciceronem Undecimo horum Poëmatorum et his Poematis oportere dici

*) Operarum errore, ni fallor, in Beieri editione Cic. fragm. orat. p. 37. haec leguntur magni *pretii* servos M. Tulli. —

ait. — Itaque Cicero pro Gallio Poematorum et in Oratore (XXI. 70.) Poematis dixit.“ — — Speciosa sane haec conjectura est; num vera sit, dubito. — Conjunctus quidem fuit Ciceroni, si quis alius, M. Terentius Varro et studiis iisdem, ut ipsius Ciceronis verbis (Acad. I. 1.) utar, et vetustate amicitiae, partemque operis, in quo exposuerat de lingua Latina, Ciceroni inscripsit: cf. Fabr. Bibl. Lat. I. 72. p. 119. — Inde fortasse nonnullis probabile videbitur et verisimile, Varronem, qui omnes fere aequales doctrina et literarum scientia superaret, Ciceroni suo probasse, quae in illo libro de analogia linguae Latinae et de verborum origine disputata essent. Cave tamen, ne speciosam Spengelii conjecturam exemplo illo, Charisio commemorato, confirmatam existimes. Cicero enim eo tempore, quo orationem pro Gallio habebat, et quo Oratorem conscribebat, amici doctissimi praecepta ex illo opere saltem non cognita habuit. — Oratio enim pro Gallio habita est anno sexcentesimo nonagesimo u. c., et Oratorem Cicero anno septingentesimo septimo u. c. conscripsit. Tum vero Varronis librum nondum legerat Cicero, ut apparet e literis ad Atticum anno septingentesimo octavo u. c. datis (XIII. 12.), et e prooemio Academicorum, quae eodem anno, quo literae illae datae sunt, Cicero con-

fecit. — Spengelium haud dubie fefellit verbum *itaque* (i. e. et ita) in illo Charisii loco. — Utut res se habet, hoc saltem mihi persuasum est, in orationibus publice habitis Ciceronem contractam genitivi formam retinuisse, quae loquendi usu probata esset. — Idem saltem fecit in simili re. „Quin ego ipse,“ inquit (Orat. XLVIII, 160.), „quum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem* dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium quum extorta mihi veritas esset, *usum loquendi populo concessi*, *scientiam mihi reservavi*.“ cf. Meierus ad h. l. p. 102. —

